

Moeller, Alfredus
Quaestiones
Servianae

PA
6694
S4Z64

Quaestiones Servianae.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in academia Kiliensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Alfredus Moeller

Hamburgensis.

Adversarii erunt:

Ericus Klostermann, Drd. phil.

Joannes Meyersahm, Dr. phil.

Maximilianus Paulcke, cand. phil.

Kiliae.

Ex officina H. Fiencke.

MDCCCXCII.

PA
6694
S4Z64



899494

No. 12.
Rectoratus 1892/93.

Imprimatur:

Dr. C. Brandt
h. t. decanus.

Parentibus meis
amoris et pietatis causa

sacrum.

De auctore sive de auctoribus Serviani commentarii, postquam Petrus Daniel anno MDC Parisiis commentarium ipsius Servii qui vocatur pleniorem edidit, dissentiunt viri docti. Servius quidem quis fuerit notum est. De illo autem cui additamenta debentur Danielis, si alienum esse a Servio eorum auctorem verum vidit Thilo, quamquam affinitate quadam inter se cohaerent, ex ipso commentario pleniore unico fonte quo uti licet in hac quaestione videndum erit an quid discamus.[1])

I.

De scriptore amplioris commentarii.

Neque vereor ne iter non munitum ingrediamur, cum initium faciamus ab e l o c u t i o n e Servii plenioris disquirenda.

Primum igitur contemplemur ea vocabula quae uni pleniori Servio aut p e c u l i a r i a sunt, aut ab aliis scriptoribus raro adhibentur.

Voces a solo pleniore Servio usurpatas has habeo:

siccaria — A 1, 706
sannosus,[2]) panticosus[2 3]) — A 3, 217 (venter)
venerativus[2]) — A 3, 558

---

[1]) Brevioris commentarii auctorem Servium b r e v i o r e m (cf. Hermes 22, 52) appellabo, eum, qui pleniorem composuit et quem nunc plerique interpolatoris similique nomine solent vocare (cf. Thilo ed. Serv. I pag. III,4; Hermes XXII, p. 33; Rh. Mus. XIV, p. 535; Bernhardy, Röm. Literatur pag. 485; Roscher, Lex. d. Myth. s. v. indigitamenta pag. 208, 65; 210, 56; H. Georgii, die antike Aeneiskritik, Stuttgart 1891, pag. 10), Servium p l e n i o r e m nominabo.

[2]) Has voces neque in lexicis (Georges, Forcellini, Ducange) neque in C. Paucken addendis lexicis latinis inveni.

[3]) cf. Archiv f. lat. Lexicogr. III pag. 495, 503.

resolutoria sacrificia — A 4, 518 [2])
tamaricium [24]) — B. 4, 2
affectate [25]) — G. 1, 8.

Quibus peculiaribus vocabulis paucas locutiones adiungo quae in hoc uno commentario inveniuntur. Huius generis eae sunt quas cum voce ,vindicta' formavit, ut: . . . ,vindictam suam implere' (A, 1, 42) et ,vindictam sumere' (A 2, 550; 4, 377)[6]). Ipsa vox ,vindicta' praeterea legitur A 6, 445; 11, 268; 6, 14 atque aliis locis infra commemorandis.

Animadvertas porro Servium verbum ,inferre' posuisse pro ,pergere' vel ,addere' his locis; A 10, 510; 11, 3; 12, 15 et 121; neque praetermittamus eiusdem enuntiatum G. 3, 71: ,uxorem sortiri' [7]).

Transeo ad rariores voces. Qua in re scire interest, cum cuius temporis generisque scriptoribus potissimum congruat nostri commentarii genus dicendi. Itaque singulis vocabulis omnes scriptores adscripsi, qui iisdem usi sunt.

expletivus — A 1, 39; Charisius p. 226, 2 K et 224, 30 K; Don. ars 389, 1 K; Prisc. II, 110, 7 K et II, 479, 32 K.

accessa — A, 1, 246. [8])

tertio = ter — A 1, 219 [9]); Palladius I, 11, 2 Trebell. Poll. Gallien. 17, 4; Fulg. myth. 2, 13.

signatius — A 1, 305; Ammian. XXIII, 6; Tertull. de res. carn. 13.

iugiter — A 2, 719; Apul. de mundo c. XXX; Cl. Mamertin. genethl. Maxim. 15; Amm. XVII, 13, 11; Auson. parent. 19, 4; id. ep. 19, 10; codex Theod. XVI tit. VII, 3; Prudent. Cath. 4, 54; Cassian. collat. XXI, 14; Vegetius de re mil. IV, 16.

---

[4]) tamarice scripsit Plinius nat. hist. XXIV, 67; tamaricum Scribon. Larg. compos. 128 et 132.

[5]) affecte praebet Tertull. anim. 45; ibid. 19 affectiosus.

[6]) Vergil. A 12, 949 ,poenam sumere' scripsit.

[7]) Justin. XXVI, 3, 8: ,In matrimonio sortiendo iudicium patris secuta'.

[8]) Thomas (essai sur Servius, Paris 1880 pag. 76) cum haec vox tantum hoc loco atque in itinerario Burdigalensi circa annum CCCXXXIII scripto reperiatur, colligit etiam plenioris commentarii scriptorem ad quartum saeculum revocandum esse.

[9]) cf. pag. 13 adn. 73.

affectiose — A 2, 731; B 9, 27.[5])

dubietas — A 3, 7; Claudian. Mamert. de stat. anim. I, 11; Eutrop. VI, 19; Amm. XX, 4, 6; XXII, 14, 4; XXV, 10, 12; Cassiod. in psalt. XXXIII, 20.

adescatus — A 3, 67; Cael. Aurel. acut. pass. I, 11, 95.

aequanimiter — A 3, 321; Sulpic. dial. 1, 14; Macrob. Sat. II, 4, 19; Amm. XVIIII, 10, 3; Tertull. pat. 8.

rivalitas — A 3, 420; Cic. Tusc. IV § 56; Apul. met. X, 24.

vituperativus — A 3, 558; Prisc. II, 272, 19 K.

de stupro interpellare — A 5, 118; 8, 299; Jul. Paulus sent. rec. V tit. IV, 4.

trinoctium — A 8, 103; Fab. Pictor ap. Gell. X, 15, 14; Gell. III, 2, 13; Auson. idyll. 11, 34; Val. Max. II, 4, 5

generalitas[10]) — A 9, 676; brevior Serv. ad A 6, 154 et G 1, 21; Martian. Cap. IV p. 100 G.; Symmach. epist. II, 91.

notamen — G. 1, 137; Diom. 320, 26 K; Serg. expl. in Donat. 488, 3 K.

piscatio — G. 1, 142; Ulp. dig. 8, 4, 13, et 7, 1, 19.

appetibilis — G, 3, 175; Apul. de dogm. Plat. II, 12; Macrob. Sat. I, 1, 4.

moraliter — G. 3, 550; Ambros. apol. David. VI, 30.

ostensurus — A, 10, 8; Apul. fr. ap. Prisc. X c. 5[11])

declamatorie — A, 10, 230; Anecd. Helv. 55, 15 K; Greg. Tur. hist. Franc.; Hieron.

imperative — A 11, 354; Ulp. tit. 24 § 1; Cassian. collat. XXI, 14.

Venio ad voces de graeca lingua desumptas inter quas plenioris Servii propriae esse videntur: archaismos (A 1, 23) prosphonesis (A 9, 444; 4, 408)[12]) eclipsis (A 9, 51)[13]) catalysis[14]) (B. 7, 24).

---

[10]) Quacum voce conferas eiusdem G. 1, 8: ‚et modo speciem pro genere posuit‘, ut tibi persuadeas eum non prorsus abhorrere ab aurea latinitate.

[11]) cf. Neue, Formenlehre d. lat. Sprache II, 569.

[12]) cf. Archiv VI, 442: Sittl, addenda z. tens. italogr.

[13]) Quae vox etsi ab aliis scriptoribus saepius adhibetur, tamen non grammatica significatione, ut a Servio, sed astronomica.

[14]) Idem scripsit brevior Servius ad A 5, 484.

Inveniuntur etiam apud alios:

oeconomia — A 1, 30 et 170; 9, 757 et 761; Quintil. I, 8, 9.

celeuma — A 3, 128.[15])

dramaticos — B. 9, 1; Diom. 482, 15 et 17 K; Dosith. 428, 7 K; Chalcid. Tim. cap. XXXVIII.

clima — G. 1, 246; Apul. dial. Herm. Trimeg. 35; Tertull. anim. 49; Martian. Cap. VIII, p. 296 G.

Postremo autem commemorare mihi liceat has duas sententias: A 1, 90: ‚Duo enim sunt, notius et borius, a quibus totum caelum contonuisse significat'.

Mittamus, quod verbum ‚contonare' non invenitur nisi in Plaut. Amph. 1094, quod praepositio ‚a' pessime hic ponitur[16]); illud ‚notius et borius' consideremus.

‚Notius' graecam vocem Latini raro usurpaverunt, alteram vocem ‚borius' omnino non adhibuerunt. Opinor igitur per analogiam Servium pleniorem hanc formam finxisse: nisi forte rectius graecis litteris *νότιος* et *βόρειος* scribitur.

S t r u c t u r a m g r a e c a m praebet alter locus: A 1, 609: ‚quia nominativus pluralis ‚res' terminatus singularem in ‚or' mittit' in quo simul notabile est, quod ‚mittere' idem significat atque ‚terminari', cuius rei nihil simile indagari potest.'

At quoniam de verbi usu sermo fit, varia colligam, quae ad huius usum pertinent. Velut scripsit, ut initium capiam a g e n e r e v e r b i, Servius plenior (A, 1, 647): ‚quae meruerunt ex ruinis civitatis eripi' et (A 8, 682): ‚meruit etiam gener esse Augusto'.

Eundem in modum hoc verbo usi sunt[17]) Vell. Paterc. I, 5, 1; Tac. ann. XV, 67; Val. Flacc. 1, 519; Vulcac. Gallican. 4, 8; Flor. I, 33, 10; Sen. ep. 93, 10.

Deinde formam deponentialem verbi activi sibi sumpsit Servius plenior: ‚armis inter se decertati sunt'[18]) (A 11, 247).

In n u m e r i s quoque verborum coniungendis neglegentiorem se praebet (A 2, 601): ‚quod occultaretur a Troianis et

---

[15]) cf. Tschiassny, studia Hyginiana I p. 11.

[16]) cf. Draeger, Histor. Syntax III, § 230.

[17]) cf. Draeger III, 319.

[18]) cf. Tschiassny p. 12 et Dietze, quaestt. Hyginianae, Kiel 1890, p. 12.

nollent (scil. Troiani) sibi reddere' atque (A 10, 198): ‚permisisse etiam exercitui suo ut castella munirent (scil. milites exercitus)'[19]). Quamquam plurima sunt exempla quibus integrum latinum sermonem exhibuisse eum videmus.

Atque ut de modis disseramus, primum conferas quaeso illud (A, 9, 52): ‚Post tertium autem et tricesimum quam res repetissent, fetiales hastam mittebant' cum Hygini verbis:[20]) ‚Post diem quartum quam essent nati'.

Deinde indicativum et coniunctivum mire coniunxit Servius plenior qui haec scripsit (A 2, 130): ‚Est autem figuratius, si legatur'.[21])

Neque miramur, eundem qui modos commutavit, tempora varia consociasse, sicut legimus A 1, 619: ‚quia non defenderat ... quod.. non rettulisset ... quod. . non reduxerit, quia navigaverat .. venit', vel A 11, 703: .. ‚non sperat fore ut illam averteret' vel A 12, 768: ‚et quaeritur, cur -- suspenderent' vel A 11, 743.[22])

Uberius atque fusius disputandum est de usu infinitivi eiusque cum nominativo atque accusativo coniunctione. Atque primum verbum ‚faciendi' tractemus necesse est, quod cum multas alias, tum ‚fingendi efficiendi iubendi' habet vim atque significationem. Pro ‚fingere' autem Servius verbum illud scripsit (A 3, 67): ‚Homerus facit loqui animas' et (A 12, 114): ‚diem quoque cum fervore oriri fecit'. Qui usus ex observatione Thielmanni[23]) inprimis Gellii, Servii, Macrobii proprius est.

Idem vir doctus nos docuit infinitivum qui non solet a faciendi (= efficiendi) verbo pendere, saepius occurrere apud Gellium et Apuleium.[24])

Quibus scriptoribus adscribo pleniorem Servium qui haec scripserit: ‚Venus illum mori fecit' (A 3, 23) et ‚Fac non esse undosum aequor', (A, 4, 314) et ‚dea .. eamque excidi a Perseo fecit

---

19) Aliquanto laxius Hyginum a praeceptis grammaticis recessisse nos docet Tschiassny p. 14.

20) cf. Tschiassny p. 23 et Draeger IV, 562/63.

21) Permulta exempla invenies in Edm. Kelteri dissertatione quae inscribitur ‚Apulei quae fertur physiognomonia' Kiel 1890, pag 26.

22) cf. Draeger, II, 218 sqq.

23) Archiv, III, p. 177—206.

24) Archiv, III, p. 184.

luminibus orbatam fecitque ut quisquis caput eius vidisset, verteretur in saxum'. Quo in loco constructio illius verbi et rarissime et saepissime usitata inest. Plura huius modi exempla inveniuntur, ut B. 10, 18: ,Mercurius miseratus imaginem Adonis .. ad suos reduci fecit' et G. 1, 18: ,cui postea .. fluvium eiusdem vocabuli nasci fecit et G. 2, 380: ,Liber pater eum occidi fecit et ei tolli utrem in quo mitti vinum fecit'.

Atque idem verbum, ut supra dixi, pro ,iubere' positum cum infinitivo coniungi frequenter exeunte tertio saeculo Thielmannus docet.[25]) Hunc autem in modum etiam plenior Servius (A 9,52) ,quem (scil. miles quidam Pyrrhi) fecerunt locum emere' dixit atque multis aliis locis, quod idem Thielmannus commemorat.[26])

Etiam hoc mentione dignum esse existimo, quod ,praecipiendi' verbum sequatur infinitivus (A 4, 402): ,Minerva Myrmicem .. adversam frumentis .. esse praecepit' et (A 11, 19): ,cum imperasset signa tolli ... vi magna extrahi praecepit', quamquam hanc structuram ne aurea quidem latinitas respuit.[27])

Rediviva, ut ita dicam, structura verbi ,metuendi' esse videtur, quam legimus A 6, 14: ,quem solum habere metuebat aemulum artis suae': etenim scripserant sic soli Catullus 64, 146 et Ovid. Her. 19, 185; 16, 285.

Offendit porro, ubi ,ut' vel ,quin' expectamus, infinitivus post verbum ,suadendi' atque post ,non dubium est'. Hoc habes A 3, 537: ,Quem auguriorum peritum fuisse non dubium est':[28]) illud scriptum est a pleniore Servio A 8, 345: ,Alii quod Argillus senator post Cannense proelium suaserit a Poenis pacem postulari', .. et A 11, 343: ,quae pacem fieri suadeant'.

Minime sibi constabat Servius plenior in scribenda adnotatione ad A 1, 63: ... ,non cum iuberetur eum hoc facere, sed ita administrare, ut etiam iussus erat', ...: quo loco cum verbo ,iuberi' et nominativum et accusativum cum infinitivo coniunxit.[29])

---

[25]) Archiv, III, p. 192.

[26]) Archiv, III, p. 196.

[27]) cf. Draeger IV, p. 236, 238, 388.

[28]) De eadem constructione fusius egit Keller, qui eam apud Claudianum Mamertum tantum extare dicit, pag. 30 et 35.

[29]) cf. Tschiassny, pag. 27.

Idem pro nominativo accusativum cum infinitivo his locis posuit: (A, 8, 270) ,.. fertur tunc Herculem accepto omine divinitatis .. sacrum Potitio tradidisse'. Quae constructio etiam invenitur apud Ael. Spartian. Anton. Carac. 8 [30]) et Fl. Vopiscum Aurel. 24,3. [31])

Simile est, quod legitur A 4, 469: ,Pentheum autem furuisse traditur secundum tragoediam Pacuvii'. Quod si sequioris temporis sapit consuetudinem, [32]) soloecismum habes prorsus insolitum A 7, 610: ,inde pulchre Juno portas aperire inducitur'.

Mitto quod idem Servius verbum ,dicendi' cum infinitivo subiecto (accusativo) omisso coniunxit (A 11, 243); [33]) mitto quod permultis locis atque adeo in una quaque pagina verbum ,ait' usurpavit: [34]) iam accedamus ad sententias a particulis ,quod' vel ,quia' pendentes.

Atque primum quidem, id quod et huc spectat et ad illud de infinitivo dictum, Servius plenior oratione obliqua usus particulam ,quia' bis aeque ac ,nam' adhibuit (A 11, 326): ,quia de viginti navibus unam periisse' ,quia loca .. textrina dici': cuius rei analoga afferre non possum. [35])

Jam eos locos enumero quibus verba ,dicendi vel sentiendi' cum particula ,quod' coniuncta legimus: (A 2, 601): ,Graeci autem putantes quod occultaretur a Troianis' [36]) (A 4. 246): ,audito quod Perseus Jovis esset filius'. (A 10, 558): ,ut dicat Aeneas quod mater eum sepelire non possit.' Quam structuram haud ignoramus anno trecentesimo post Chr. nat. iam satis frequentem fuisse. [37]) Nec dissimilia sunt, quae legimus G. 1, 514: ,notandum est quod poeta librum in comparatione finierit' atque (A 8, 322): ,fabula

---

[30]) ,dicentem' in ,dicens' mutaverunt Peter et alii.

[31]) cf. Draeger, IV, 431.

[32]) Draeger, IV, 429 et 433.

[33]) Draeger, IV, 414 et Tschiassny, pag. 26.

[34]) Verbum ,ait' in oratione directa eadem libidine posuit Hyginus. cf. Dietze, pag. 13 et Tschiassny, pag. 25.

[35]) cf. usum particulae ὅτι in Novo Testamento.

[36]) cf. supra pag. 4 fin.

[37]) cf. Draeger, IV p. 225 et Kelter, p. 32. et Mayen, de particulis quod quia quoniam quomodo ut. Diss. Kiliae 1889 p. 46—50, cf. Archiv VI, 286 sq.

nota est quod Saturnus . . voraverit, . . et quod . . obtulerit'.

Quocum congruit ,manifestum quia (quod) sim' quae Cypriano usitata esse Kelter[38]) docuit. Agmen claudat A 8, 625: ,opportune ergo fecit Vergilius quia . .' Quia autem pro ,quod' positum invenitur apud Lact. IV, 12, 18; V, 17, 30; VI, 22, 3; praeterea apud Tertullianum, Cyprianum, Fulgentium, Sulpicium Severum.[39])

De pronominibus sufficiat paucis demonstrare pleniorem Servium aeque atque Hyginum nimis copiose posuisse demonstrativa.[40]) Videamus igitur haec: (A 1, 270): ,ad quam (Albam Longam) cum de Lavinio dii Penates translati nocte proxima Lavinium redissent, atque eos denuo Albam Ascanius transtulisset, et illi iterum redissent Lavinium, eos manere passus est, datis qui sacris praeessent agroque eis adsignato quo se alerent'[41]) vel haec: (A 2, 566): ,Post hunc versum hi versus fuerunt qui . . obliti sunt' vel (A 10, 567): ,Homerus nihil dicit aliud quam centum manus eum habuisse et auxilio eum Jovi adversus Neptunum, Junonem et Minervam fuisse' vel (A 11, 80): ,ut ea (scil. ornamenta) mortuum eum condecorarent.'

Etiam in usu pronominis reflexivi plenior Servius peccavit contra purum sermonem: supervacuo enim atque falso positum est ab eo A 1, 720: ,Sed cum virginem parentes sui alii despondissent'.[42]) Neque minus alienum est ab usu florentis latinitatis quod A 9, 115 scripsit: ,et effecit, ut cultores sui viriles sibi partes amputarent'. Neque enim adhibere debuit in consecutiva sententia pronomen reflexivum, quod quidem ad verbum, de quo tota sententia pendet, pertinere ille vellet. Quo insuper factum est, ut idem pronomen bis scriptum in una sententia ad duas personas respiciat.

Plane contrarium legimus A 11, 243: ,. . de se dixit ne ei (id est sibi) obiceretur'.

Notabo deinde singularia quaedam quae occurrunt in adverbii usu: Primum enim, si scripsit plenior Servius

---

[38]) cf. Kelter, pag. 32.

[39]) cf. Draeger, IV, 226.

[40]) cf. Tschiassny, pag. 17 sq.

[41]) Nimirum ita scripsit, ut rem quam manifestissimam redderet.

[42]) cf. Tschiassny p. 16.

G. 3, 391: ‚fabula sic est‘ graecum usum videtur secutus esse neque praeteream G. 2, 66: ‚quia Hercules . . hanc primus arborem dicitur contemplatus esse et se inde coronasse‘;[43]) ubi ‚inde‘ pro ‚ex ea‘, neque A 9, 630: ‚ut . . nulla pars alia corporis sed caput vulneraretur,‘ . . ubi ‚sed‘ pro ‚nisi‘ positum satis mirum mihi videtur esse. Progrediamur ad verborum conformationem atque primum ad declinationis proprietates.

Rariorem formam ‚anuis‘ pro ‚anus‘ B. 4, 34 legimus.[45])

Dativum ‚animabus‘ praebet plenior Servius G. 1, 78. Eandem autem formam apud breviorem Servium A 6, 136 et 418 et 714 invenies: praeterea apud Tertull. adv. Marc. IV, 34; de carne Chr. 8; de res. carn. 17; de anima 33, 54, 56; adv. Jud. 5; Augustin. de civ. dei XIX, 23; Prudent. c. Symm. I, 532; περὶ στεφ. hymn. II, 291; Sidon. Apoll. ep. VII, 9 contio; Auson. perioch. 11 Odyss.[46])

Ablativus ‚veteri‘ A 8, 285 extat. Quae forma, ut ait Priscianus I, 339, 17 K, aeque ac ‚vetere‘ scribitur atque usurpatur a Gell. IX, 14, 20; Turp. ap. Non. p. 408; Ovid. Fast. II, 22;[47]) Plaut. Stich. 768; Val. Flacc. 1, 26; Ser. Sammon. de med. 990; Cl. Claudian. in Eutrop. II. prol. 23.

De syntaxi autem casuum haec sunt memorabilia: G. 4, 111: ‚hortis et vineis custodem‘. Qui dativus substantivo ‚custos‘ absolute adiungitur apud Tacitum ann. III, 14; VI, 36 (42) aliis locis; Apul. de mag. c. 98.[48])

In transitu porro commemoro a verbo ‚uti‘ pendere accusativum (A 2, 33)[49]).

Extremo loco pono haec (G. 4, 452): ‚Haec enim numina non humiles sunt, sed magni‘: scriptor cogitavit de significatione

---

[43]) cf. Tschiassny pag. 36.

[44]) Tale quid apud scriptores argenteae latinitatis interdum legimus. cf. Draeger III, 182.

[45]) cf. Neue I, p. 352.

[46]) cf. Neue I, p. 29.

[47]) Güthling scripsit ‚veterum‘.

[48]) Simile quid apud Livium legimus ut X, 41 cf. Draeger II, 405 sqq.

[49]) Idem praebent: Cat. ap. Gell. XIII, 24 (23), 1; Cic. ad Att. XII, 22; Lucr. VI, 1134; Titin. ap. Non. 481 M.

vocis ‚numen' = ‚deus', non de genere. At fere omnibus temporibus haec structura quamvis raro occurrit[50]).

Restat, ut de usu praepositionum disseram. Moneo igitur praepositionem ‚a' pro mero ablativo poni A 1, 183: ‚quia solent naves a velificatione facile cognosci'[51]), praeponi ablativo instrumenti ‚de': (A 3, 553): ‚de navium fragmentis civitatem sibi fecisse',[52]) eandem propositionem legi, ubi ‚a' cum ablativo exspectamus A 5, 72: ‚.. gravidaque de eo esset facta'[53]) ..: idem pro ‚e' A 4, 577: ‚de cuius nomine etiam mensis dictus est'[54]), insolentius vero esse ‚de' a breviore et pleniore adhibitum A, 2, 166. Hic enim: ‚de Palladio pro odio prodidisse' pro eo quod est: odio permotus Palladium prodidit; ille: ‚et indicavit coactus fata Troiana, in quibus etiam de Palladio'. Nolo negare excusari posse hunc ‚de' praepositionis usum[55]), sed plane inauditum est illud ‚pro odio' = odio adductus.

Quae praepositio etiam alio loco notabilis esse mihi videtur (A 6, 354): ‚timuisse pro navi': quod simili ratione legimus apud Livium XXVII, 30: ‚pro Aetolis cura'; XXXVIII, 9: ‚pro Aetolis sollicitus'; Tibull. IV, 10, 5: ‚solliciti sunt pro nobis'; Gell. XIX, 1, 10: ‚sollicitus pro anima' ‚timere pro anima'.[56]).

Plura de praepositione ‚in' dicenda sunt: A 10, 76: ‚Sed in his nominibus abutitur poeta' *(Missbrauch treiben mit)* atque ut hoc est singulare, ita illud (A 10, 655): ‚quos in ducum ordinem non numeravit' pro ‚in ducum ordine' vel illud (A 4, 99): ‚optatam in matrimonium virginem' vel A 3, 48: ‚Priamus cum videret longa obsidione res suas in ultimo constitutas' pro ‚in discrimine', cui elocutoni addo eiusdem Servii (A 4, 48): ‚in ultimo' = zum Schluss.

---

[50]) cf. Draeger II, 159 sq.

[51]) cf. Draeger III § 230 et Kelter p. 10 et 21.

[52]) cf. Tschiassny, p. 36.

[53]) cf. Draeger, II, 586.

[54]) cf. Draeger, II, 585.

[55]) cf. Draeger II, 588.

[56]) cf. Draeger, II, 600.

Minime porro eleganter scripsit (A 4,496): ,.. eleganter etiam in morte perseverat in amore,' . .

Postremo miramur quod quamquam saepe ,in honorem, in vindictam[57]) alicuius' scripsit, Servius plenior sibi sumpsit vel hoc: (A 6,14): ,in vindicta filii occisi'; G 2,380: ,in honore ipsius fuerant'; G. 3,29: ,in honore Augusti et Agrippae': sed constat ablativum post praepositionem ,in' pro accusativo primum apud Tertullianum saepius inveniri.[58]) Quo respicit quod alia de causa supra[59]) exhibui: ,in quo . . mitti'.

Sequitur praepositio ,intra' quam peculiari vi praeditam esse videmus. Pro ,secum' enim legimus (A 1, 92) ,intra se' et (A 1, 94): ,multa eum intra se cogitasse'.

Rarum etiam est ,ob quod' pro ,quam ob rem' (A 4, 127; 8, 682) atque praeter pleniorem Servium (A 9, 712) praebet unus Jul. Capitolin. Maxim. 11,8 ,ob hoc quod'.[60])

,Per' Servius plenior coniunxit (G. 3, 19) cum verbo ,accipere', ut exprimeret: verstehen unter. ,Per hoc' autem ab eo pro ,propterea' positum (B. 7, 24) inferioris temporis est.[61])

Praepositione ,propter' vim particulae ,quod' augere studuit, velut A 1, 75; 4, 127; 9, 139; 12, 111 et 135; G 2,162; ,Propter hoc' autem = ,ideo quod' (A 8,581), argenteae et inferioris latinitatis est.[62])

Extremam commemoro plenioris Servii hanc adnotationem (A 9,208): ,Multas causas: primam ipsius pueri, secundam propter se, tertiam matris'. Manifestum est abhorrere illud ,propter se' ab usitata eius vocis significatione quae est ,wegen der vorhandenen Eigenschaften'.[63])

Sed haec hactenus. Jam paucis ea quae disputavimus complectenda sunt: Nemo negabit nihil nobis occurrisse quod inferiori

---

57) Ne hoc quidem aureae latinitatis est. cf. Draeger II, 614.

58) cf. K. Sittl, lokale Verschiedenheiten d. lat. Sprache. Erlangen 1882, 129 et Dietze, p. 13.

59) cf. p. 6.

60) cf. Draeger, IV, 646.

61) cf. Draeger, II, 565.

62) cf. Draeger, IV, 548.

63) cf. Draeger, IV, 547.

quam quarto saeculo attribuendum esset; nisi illud unum quod praeter Servium pleniorem (A 3,67) Caelius Aurelianus solus scripsisse videtur.[64]) Sed temeritatis vitium ille incurreret, qui ex hac una re eaque dubia[65]) aetatem Servii plenioris definire vellet.

Saniore ratione is utetur, qui ex multis illis vocabulis et sermonis proprietatibus, quae scriptorum magno numero certi temporis cum Servio pleniore communia sunt, concludendi periculum faciet. Jam vero, quod ex una similitudine, quae inter Servium et scriptorem itinerarii Burdigalensis intercedit, Thomas nimis confidenter collegit[66]), id nobis ex comparationibus supra propositis pro certo concludere licebit, eo fere vixisse saeculo pleniorem Servium quo fuere Tertullianus Julius Paulus Ulpianus Charisius. Eo enim sermone utitur, qui tertii saeculi exeuntis vel quarti saeculi proprius est; quin etiam duobus locis[67]) Draeger nos docuit verba quaedam praeter Servium pleniorem hic Spartiano et Vopisco: illic Capitolino tantum usui fuisse. Neque Spartianus, Vopiscus, Capitolinus soli nos impediunt ne longius extra fines quarti saeculi evagemur, obstat etiam Claudianus Mamertinus[68]) atque ipsorum Gellii, Servii, Macrobii, ut supra dixi,[69]) sunt constructiones verbi ‚faciendi' quae in plenioris Servii commentario valde usitatae sunt.

Quae cum ita sint, adducimur — ne dicam cogimur — ne ultra quarti saeculi fines procedamus, praesertim cum ceteris in rebus sermo plenioris Servii satis purus ad grammaticorum orationem maxime quadret.

Rebus grammaticis igitur perquisitis videamus quid Servius plenior de moribus atque caerimoniis aetatis suae proferat. Quod quidem fere fecit Thilo, cum pauca quaedam commemoraret[70]), ‚quibus a pleniore Servio de veterum Romanorum institutis et religionibus atque etiam sermone tamquam de abolitis atque peregrinis rebus ageretur.'

---

[64]) cf. supra p. 3.

[65]) Etenim opinatur Schwabe Caelium Aurelianum ineunte quinto saeculo fuisse. cf. Teuffel-Schwabe, pag. 1182.

[66]) cf. supra p. 2 adn. 8.

[67]) cf. supra p. 7 et 11.

[68]) cf. Keller, p. 30.

[69]) cf. supra p. 5.

[70]) Thilo ed. Serv. vol. I p. LXVII.

At etiam brevior Servius a sua aetate segregavit veterum tempora. Nam Lucanum et Persium (A 6, 187 et 320) nominat scriptores neotericos, Vergilium (A 1, 14 et 56) in antiquis numerat atque Terentium (B. 3, 1) antiquum appellat.[71]) Eiusdem haec habemus: ‚apud maiores nostros' (A 1, 179); ‚veteres dicebant' (A 2, 479); ‚antique dixit, quia . . apud maiores nostros dicebatur' (B. 1, 32); ‚ad antiquum pertinet ritum' (G. 1, 31); ‚maiores dicebant' (G. 2, 412).

Deinde usus est plenior Servius imperfecto ut consuetudinem aliquam ad scriptoris usque tempora vigere notaret.[72]) Neque causam video, cur cum Thilone ubicunque inveniuntur haec imperfecta scriptorem adhibuisse iudicemus ut praeteritos mores et abolitas consuetudines significaret. Accedit quod (A 1, 179) non solus plenior sed etiam brevior Servius habet imperfecti tempus.[73])

Cuius opinionis alia quoque argumenta Thilo attulit, ut (A 1, 4) pro ‚ponimus et formamus' Cassellanum[74]) ‚posita et formata' praebere monet. Qua altera elocutione neque contextus neque sensus quicquam mutatur: immo vero ubi legerimus quae in eo commentario antecedunt, haec passivi forma haud aliena esse nobis videbitur. Insuper autem in eadem adnotatione scriptum legimus ‚saepe poni pro activis passiva, pro passivis activa.'

Itaque quae Cassellanus habet, non solum facile intelleguntur, sed etiam idem significant quod brevioris Servii verba.

Neque video qua de causa Thilo Servii adnotatione A 1, 26 argumento opinionis suae usus sit: neque enim peregrinum aut abolitum sermonem tractat grammaticus, nedum tempora multo superiora. Multo autem rectius verbum ‚utendi' ad Maronem, ut

---

[71]) Huc pertinent, quae Tacitus dial. 1,16,17 similem in modum dicit.

[72]) Praeterquam quod quaedam facile librariorum errore oriri potuerunt, ut illud plenioris Servii ‚libabatur' in uno codice invenitur. cf. Thil. ed. Serv. I, LXVIII.

[73]) A 1, 219: brev. S.: ‚mortuorum umbrae ad sepulcra vocabantur' plen. S. ‚dicebatur post nomen defuncti vocatum tertio vale vale vale'. cf. supra pag. 2.

[74]) codex amplioris recensionis. De codicibus Servianis scripsit Thilo, cf. Th. ed. Serv. I pag. XLVIII—LXVI atque LXXVII—XCI.

plenior Servius voluit, quam ad eum qui commentarium composuit, cum breviore Servio revocamus.

Sed etiam Varro (A 4, 167) de antiquis temporibus dicit per imperfectum ‚accipiebant' neque aliter plenior Servius ‚solebant' scripsit, cum explicaret, quamobrem pueri atque puellae aquam quae ipsius temporibus nuptiis intererat, olim hausissent. Plenior enim Servius non de brevioris Servii aut ipsius aetate locutus est, sed de ea cuius consuetudinem nuptialem etiam Varro tractavit.

Atque haec Thilonis hactenus: iam ad propositum revertamur.

Plenior Servius A 2, 141 haec scripsit: ‚quia et pontifices dicunt, singulis actibus proprios deos praeesse.'

Nemo ignorat, postquam Constantinus christianae fidei addictus fuit, paganos sicut paullo antea christianos homines ab imperatoribus vexari coeptos esse.[75] Quam crudelitatem cum Constantinus, Constans, Valentinianus, tum Theodosius[76] exercuit. Itaque valde dubito num is qui ea quae supra exscripsi composuit, id postea facere ausus sit.[77]

Deinde constat[78] haud multo post annum quadringentesimum libros Sibyllinos a Stilichone Romae crematos esse, ut Prudent. Clem. Apoth. 439 sqq.[79] dicit:

‚Non tripodas cortina regit, non spumat anhelus.
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris —
Mortua iam mutae lugent oracula Cumae —'

Fieri igitur non potuit quin etsi exemplaria extabant, publice consulerentur libri Sibyllini.

Ergo ante hoc tempus fuit Servius plenior ‚quippe qui (A 3, 332)

---

[75]) cf. Becker, Röm. Altertümer IV, 137 sqq.

[76]) Th. Birt, de moribus christianis quantum Stilichonis aetate in aula imperatoria occidentali valuerint disputatio Marburgi 1885, pag. VIII.

[77]) Multos idem composuit eiusmodi locos, ut A 1, 17; 2,202; 2,325; 3,85*; 3,90; 3,279*; 4,58*; 4,262; 4,609; 5,84; 8,288; 10,541; 11,19; 11,76; 12,139; 12,492; B. 4,49; 5,20; 5,75; 7,21; 8,82; G. 1,14; 1,151; 4,24; 4,520. * — cf. Thomas, pag. 124.

[78]) cf. Becker, IV, 300.

[79]) cf. Cl. Rutilii de reditu suo itiner. II, 52.

scripserit [80]): ‚cuius rei vestigium est quod hodieque quindecim virorum cortinis delphinis in summo ponitur et pridie quam sacrificium faciunt .. quia quindecim viri librorum Sibyllinorum sunt antistites.'

Haud multo longius praetura urbana perduravit quae imperio Romano deleto abolita est [81]): plenior autem Servius habet A 8, 276: ‚neque alia fronde (scil. nisi lauro) circumdat caput praetor urbanus, qui Graeco ritu sacrificat'.

Lupercalia autem quae commemorat idem (A 8, 343): ‚ut hodieque nudi currant' (scil. in lupercalibus) anno VID a Gelasio I episcopo mutata esse novimus [82]) in Mariae expiationem.

Porro inspicias A 4, 242: ‚Et hodieque tam athletarum quam gladiatorum certamina virga dirimuntur'. Quaeritur igitur quam ad aetatem [83]) gladiatorum certamina Romae atque in provinciis extiterint: ludi gladiatorii autem, si Friedlaendero [84]) qui de his rebus egit fides habetur, in oriente quarto saeculo exeunte fieri desierunt neque multo longius in occidente editi sunt: itaque ex hac quoque re sequitur pleniorem Servium certe ante annum LD scripsisse.

Idem Servius pauca de imperio Romano profert quasi etiam tunc illud extet: (G. 1, 102) ‚esse etiam Gargara civitatem in radicibus Idae montis in provincia Moesia Asiae' et (G. 1, 109): ‚et apud antiquos et hodieque in aliquibus provinciis.'. [85])

Alium terminum ante quem scripserit plenior Servius, reperit Thomas. [86]) Nam G. 1, 262 commemoravit Altinum, quod oppidum scimus anno DCL esse deletum.

Iam in animo nobis est eos locos enumerare quibus agitur de statuis templis monumentis quae, ut plenior Servius affirmat,

---

80) cf. Thomas, pag. 124.

81) cf. Becker, II,3 p. 260.

82) cf. Becker, IV, 406.

83) Non video, cur Georgii (pag. 21/22) ex hac adnotatione colligat, pleniorem Servium australis regionis incolam fuisse, quoniam in omnibus provinciis imperii Romani illi ludi facti sunt.

84) Sittengeschichte Roms II, 420 sq.

85) cf. A 3,587 et 7, 188.

86) cf. pag. 52.

ipsius temporibus ostendebantur atque visebantur: attamen ut in antecedentibus, ita in his locis in universum tantum temporis indicia statuere possumus. Postquam enim urbs a. CCCCX ab Alarico, a CCCCLV a Geiserico expugnata atque praedae data, a. DIVL a Totila direpta atque exhausta est, iam non multa monumenta antiqua in publico relicta esse putaverim [87]): multa autem ipse plenior Servius se vidisse dicit, ut his locis: A 8, 271: ,Maxima] ingens enim est ara Herculis, sicut videmus hodieque *post ianuas circi maximi*'. [88]) A 8, 322: ,quoniam aerarium Saturno dicatum erat, ut hodieque aerarium [90]) Saturni dicitur'. [89]) A 8, 319: ...' sibi oppidum fecit (scil. Saturnus) *sub clivo Capitolino, ubi nunc eius aedes videtur*'. A 8, 641: ,Huius autem facti in sacra via signa stant, Romulus a parte Palatii, Tatius venientibus a rostris'. A 8, 646: ,per sublicium pontem hoc est ligneum *qui modo lapideus dicitur* transire.' [89]) A 8, 652: ,quod hodieque ara in Capitolio est Jovis tutoris in qua .' [89]) A 3, 12: ,ut hodie quoque penus Vestae claudi vel aperiri dicitur'. [91]) Extrema inspicias: A 8, 345; 6, 289; 3, 80.

Omnibus autem rebus quasi in unum conspectum redactis nihil inest, quo cogamur ad tempus quarto saeculo inferius descendere: nonnulla leguntur quae ad id ipsum saeculum nos deferunt.

---

[87]) cf. O. Richter, Iw. Müllers Handbuch, III p. 780 sq.

[88]) Inclinatis litteris quae praeter breviora verba plenior Servius praebet significantur.

[89]) Sine ulla causa Thomas (pag. 102) dicit tales locos e veteribus commentariis esse transcriptos neque vidit pleniorem Servium certe nihil inepti transcripsisse, quippe qui in omnibus quaecunque exscripsit, sano iudicio uteretur. Cuius iudicii pauca exempla affero A 2, 593: ,quidam reprehendunt, non convenisse in ruina et exitio civitatis Venerem roseo ore loqui cum filio, ignorantes hoc epitheton Veneri esse perpetuum.' A 11, 141: ,alii ,modo' paulo ante accipiunt, sed ,modo' ait cum adfectu, ut acerbior luctus de tanta mutatione nasceretur: alii ,modo' paene accipiunt.' A 11, 453: ,.. nec est superfluum ,manu', ut quidam volunt'. B. 9, 35: ,nonnulli sane Alfenum Varum volunt, qui licet iuris consultus et successor Servii Sulpicii esset, etiam carmina aliqua composuisse dicitur: sed hoc teste Horatio falsum est, qui Varium poetam laudat'. Ne longus sim, haec breviter enumero: A 1, 53; 1, 108; 2, 173; 3, 593 cf. Georgii pag. 4.

[90]) cf. Richter p. 788.

[91]) cf. A 2, 508.

De pagano autem quodam usu cum supra verba fecerimus atque viderimus aliquantum interesse ad aetatem eius, qui ampliorem commentarium composuit, determinandam, utrum christianae an paganae fidei fuerit addictus, iam errorem Thilonis et aliorum virorum doctorum tollamus.

Thilo enim Burmannum secutus complures locos enumeravit [92]) quibus ostenderet pleniorem Servium christianum fuisse.

Alter autem Servius ab omnibus viris doctis paganorum numero attribuitur, cuius rei pauca argumenta adscribo: A 1, 79: ,.. duplici enim ratione divinos honores meremur, dearum coniugio et convivio deorum'. A 5, 725: ,nulla est vita post mortem'.[93]) G. 1, 57: ,.. apud Sabaeos tus nascitur, quo deos placamus.'

Atque ut ad pleniorem Servium transeamus, locos a Thilone, ut supra dixi, enumeratos consideremus, num quid faciant ad eius opinionem confirmandam. A 4, 200: ,*ut dicimus cotidie in officio esse.*' Quam sententiam si a christiano quodam profectam esse cum Thilone statuimus, interpretemur necesse est: täglich bei der Messe sein. ,Est enim officium introitus Missae vel Missa ipsa officii divini pars praecipua'[94]). Quae vocis ,officium' significatio tribus locis invenitur, sed idem plerumque vocibus ,Missa', ,Missa sollemnis' aliisque significatur. ,Officia autem dicuntur etiam sacra quae a paganis sacerdotibus agebantur.'[95]) Adde quod illud ipsum ,in officio esse' ,der Messe beiwohnen' nusquam legitur, saepe autem scriptum legimus: [96]) ,in officio esse = seine Pflicht thun'.

Jam velim nulla opinione praesumpta sententiam cui innexum est illud , in officio' intueamur: persuasum habeo nobis non tam vertendum esse: ,Man muss Tag und Nacht beim Feuer wachen, wie wir sagen täglich der Messe beiwohnen' quam: ,wie wir sagen, täglich seine Pflicht thun vel stets auf dem Platz sein'.

---

[92]) Thilo ed. Serv. I, p. LXXVII.

[93]) cf. E. Teuber, de Servii vita et commentariis, Breslau 1843, pag. 13.

[94]) cf. Ducange, s. v.

[95]) cf. Ducange, s. v. et A 4, 509.

[96]) Cic. ad fam. 14, 1, 5; 15, 20; Liv. 8, 19. cf. Serv. ad A 4, 133 ,officio adesse'. et Serv. ad A 8,273 ,in officio'.

Equidem in tota expositione non inveni cur de Missa cogitem. [97]

Deinde viri docti (A 4, 301): ,hoc vulgo apertione appellant' a pagano scriptum esse negant: videamus igitur, num hoc fecerint iure. Si christiani haec verba esse putamus, necesse est vocem apertionis ita intellegamus, ut christiani ea utebantur: habet autem apud eos hanc significationem: ,apertionis mysterium, ceremonia, qua sacerdos accedentis ad Baptismum nares et aures tangit dicens: epheta, id est adaperire, vel est apertio oris.' [98]) Antecedunt autem illis Servii verbis Plautino verbo interposito: ,cum sollemnibus diebus aperiebantur templa instaurandi sacrificii causa'. Haec num de baptismo christiano dici putamus? Nonne sacrificia paganorum commemorari videmus? Itaque verba quae antecedunt, nos impediunt quominus de usu christiano cogitemus, sed monent agi de veterum deorum apertione [99]) templorum.

Tertius locus est A 8, 670: ,quomodo enim piis iura redderet, qui in se impius fuit?' Haec verba ad Catonem respiciunt, qui manum sibi attulit. Christiani autem est, ut Thiloni videtur, talem hominem impium habere. Concedo: sed quaerendum esse puto, num inter veteres fuerint qui idem de hoc mortis genere censerent atque christiani. Notissimum est Stoicos mortem voluntariam semper probasse, saepissime commendasse, quorum doctrinam permulti Romani secuti sunt [100]), velut Cicero ,in quo' inquit ,aut sunt plura contraria aut fore videntur huius officium est, e vita excedere.' [101])

Seneca etiam rationes eius mortis enumerat: quo factum est ut Baumhauer [102]) Romanis ipsam mortem voluntariam numquam iniustam esse visam diceret.

---

97) Mecum consentit Thomas pag. 141.

98) cf. Ducange. s.v.

99) Etiam H. Nettleship (journal of philol. X, p. 157) hos duos locos nihil valere dicit cum viri docti explicare omiserint, quomodo christianus aliquis eos composuerit.

100) Ed. Zeller, die Philosophie der Griechen, Leipzig 1880, III, 1 pag. 305 sqq. pag. 455.

101) de fin. bon. et mal. III, 60.

102) disquisitio de morte voluntaria, 1843, pag. 45.

Neoplatonicis autem Plotino atque Porphyrio ea iam non probatur.

Neque Epicurus obiurgat minus eos qui mortem concupiscunt quam qui timent: Epicureorum autem horto a pluribus commentatoribus Vergilius attributus est.[103])

Itaque evincitur eos qui veteres deos deasque coluerunt, de morte voluntaria diverse iudicasse.

Sed ipsius Vergilii atque brevioris Servii libros inspiciamus num quid de eadem re reperiatur: Vergilius (A 4,642) de ‚coeptis immanibus' dicit, ubi manus Dido sibi allatura est. Quod idem (ib. 694) ‚difficilem obitum' nominat atque (A 12,603) ‚informe letum'. A 4, 696 sqq. autem haec dicit:

‚Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque adcensa furore,
Non dum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput dammaverat Orco'.

Conferas etiam sequentes versus. Neque A 6, 434 sqq. causam mortis voluntariae poeta agit.[104]) Miseros igitur atque tristes eos qui tali morte e vita excesserunt, Vergilius depingere solet.

Deinde brevioris Servii illud ‚quasi turpi' cum plenioris ‚impium' conferatis: scripsit enim brevior ille Servius (A 4, 698): ‚Flavum crinem] matronis numquam flava coma dabatur, sed nigra: unde Iuvenalis ‚et nigro flavum crinem abscondente galero'. Huic ergo dat quasi turpi'. Postremo brevioris commentarii partem adscribo quae est: ‚Sane sciendum[105]) quia cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abiceretur: unde bene ait ‚informis leti' quasi mortis infamissimae .. .. *Cassius autem Hemina ait, .. tunc primum turpe habitum est mortem sibi consciscere.*' ...

Ergo cum neque omnes philosophorum scholae neque Vergilius neque brevior Servius mortem voluntariam probaverint, omnino non opus est quod fecit Thilo, referre illud plenioris ad christianum scriptorem.

---

103) cf. G. 4, 219.

104) cf. Stäudlin, Geschichte der Lehren und Vorstellungen vom Selbstmord, Götting. 1824.

105) cf. supra pag. 7 sq.

Iam refutatis virorum doctorum argumentis alios locos enumerabo, qui a nullo scribi potuerunt nisi ab homine veterum deorum opinioni addicto: A 8, 275: ‚Privatos quos unaquaeque gens colit, ut nos Faunum, Thebani Amphiaraum, Lacedaemonii Tyndareum: communes quos universi, ut Castorem Pollucem Liberum Herculem'. A 8, 314: ‚quidam Faunum appellatum volunt eum quem nos propitium dicimus.' A 9, 182: ‚ut masculino genere Cupidinem deum ipsum, id est τὸν Ἔρωτα significemus, feminino cupiditatem.' A 12, 538: ‚singuli enim deos proprios habemus genios'[106]).

Praeterea id monuerim, eum christianae fidei certe non adhaesisse qui auguriis et eiusmodi rebus usus est. Neque enim ullus christianus tanta superstitione constrictus est: immo vero a talibus erroribus alienus eos tollere studet. Itaque cum plenior Servius (A 3, 246) explicans augurum auspicia atque eorum duo genera dicat de altero genere: ‚nunc utimur' paganum se esse fatetur: aeque atque A 6, 284: ‚Et duo somniorum genera putantur: unum de caelo, ut . . . quod est verum, aliud ab inferis quod est vanum'[107]).

Cum autem e locis supra explicatis apparuerit neque opus esse ad christianum referri neque id magna ex parte fieri posse sequitur ut plenior Servius paganus fuerit[108]).

Ubi autem in lucem editus sit, ubi vitam egerit Servius plenior, difficillimum est ad statuendum. Pauca huius rei quae equidem inveni iudicia commemoro. Populo Romano[109]) eum attribuere non dubito quippe qui peritum se praebeat linguae latinae, ut A 1, 505: ‚Chelonen . . quam nos latine testudinem dicimus', A 1, 394 atque multis aliis locis, atque qui Romanum se esse profiteatur his verbis: ‚apud maiores nostros stipendium . . dabat,' (A 6, 1)[110]). Atque ne quis putet

---

106) Adde hos locos: A 1, 683; 2, 616; 3, 91; 3, 151; 3, 587; 4, 32; 4, 638; 4, 696; 7, 610; 8, 187.

107) Adscribo A 10, 272.

108) Sicut Thomas (cf. Thom. pag. 142) iure censuit fieri non potuisse quin brevior Servius, si christianus fuisset, paganorum mores enumeraret neque occasione oblata contra eos existeret, necesse est nos idem de pleniore Servio iudicare.

109) cf. H. Georgii, pag. 22.

110) cf. A 1, 125.

pleniorem Servium ignarum fuisse Romae urbis, haec animadvertamus: A 7, 672 ,Catillus] unde mons Catilli quem Catelli dicunt per corruptionem *iuxta Tibur*'. A 7, 712: ,Velinus lacus est, *circa Reate* iuxta agrum qui Rosulanus vocatur.' 7, 714: ,Himella fluvius est *intra Forulos*.' Etiam aliis ex locis, ut A 7, 728; 8, 319, intellexeris pleniorem Servium illam urbem atque regionem novisse, neque id fieri potuit nisi ipse atque praesens eas viderit: etenim minora ea videntur quam ut corrigendi causa quisquam ea ex idoneis libris elegerit[111]).

Restat unum quod mentione dignum esse mihi videtur: perquirenti enim mihi saepenumero Servianos commentarios mirum visum est quod saepissime plenior Servius adnotat, hoc vel illud esse nauticum sermonem vel instrumentum vel ad tale quid respicere.

Neque facere, ni fallor, possumus quin qui tantopere rerum nauticarum peritum se praeberet[112]) nautam vel litoris accolam fuisse statuamus.

---

[111]) cf. infra pag. 47.

[112]) cf. A 1, 198, 244, 246, 534; 2, 16, 19; 3, 128, 207, 275, 519; 4,418, 613, 661; 5, 1; 10, 229; 11, 327, 329; G. 4, 420.

II.

De ratione quae inter breviorem atque pleniorem recensionem Serviani commentarii statuenda sit.

Quae de vita plenioris Servii erui possint tractavi. Nunc videamus quomodo cohaereat eius commentarius cum brevioribus scholiis. Aut enim plenior liber fons brevioris fuit vel integriorem utriusque fontem servavit, aut breviore commentario additamentis amplificato plenior extitit. Huic alteri explicationi adstipulatus priorem prorsus improbavit Thilo, quocum hodie consentire videntur viri docti.

Thilonis igitur argumenta, summo acumine et industria conquisita primum examinemus. Audiamus quae dicit Thilo pag. V:

‚Atque supplementa quidem vulgatorum scholiorum magnam partem admodum brevia sunt atque tam vilia ut facile eis careamus, velut illud A 1, 2: ‚nam ecce hoc loco detraxit provinciae praepositionem dicens ‚Italiam venit‘ *pro ad Italiam venit*‘: Probo neque dissentio, si pergit: ‚Haec et his similia utrum ab ipso brevioris commentarii scriptore profecta et vel breviatorum libidine sublata vel librariorum neglegentia omissa an inferiore aetate ut facilius quid voluisset ille intellegeretur addita sint, vix potest diiudicari.‘

Addo quod ibid. ait: ‚Etiam exempla quae vulgati commentarii praeceptis in plenioribus libris adposita esse videmus facile ut omitti ita addi poterant, ut A 1, 3: ‚Altum tamen sciendum est quod et superiorem, *ut Maia genitum demittit ex alto*‘ et inferiorem altitudinem significat‘, atque pergit: ‚Sed inveniuntur sane quibus vulgata scholia tam apte expleantur quaeque tantae eruditionis sint, ut non possint ad interpolandi studium revocari velut A 1, 566 apparet ex iis quae in plenioribus libris extent vulgata derivata esse.‘ Conferas igitur:

,Incendia belli] id est vim; semper enim diluvio et incendio conparat bellum, ut ,in segetem veluti cum flamma furentibus austris' incidit aut rapidus montano gurgite torrens.'

,Incendia belli] aut ardorem simpliciter belli, quia semper diluvio et incendio et tempestati conparat bellum, ut ,in segetem . . . torrens' et alibi ,saevis effusa Mycenis tempestas ierit': aut potest subtilius dictum accipi, quod Ilium conflagravit incendio.'

Tamen ne concludamus pleniorem commentarium ad incorruptam Serviani operis integritatem propius accedere quam breviorem, monet vir doctus. Certis enim argumentis evinci posse ei qui pleniorem commentarium composuerit praeter Serviana aliorum eorumque superiorum grammaticorum scholia ad manum fuisse. Eadem igitur probabilitate illis locis vulgata Servio, pleniora eis tribui quorum scholia ipse Servius exscripserit.

Constat igitur pleniores libros, etsi non ad ipsius Serviani operis, ut ait Thilo, tamen ad Serviani fontis incorruptam integritatem propius brevioribus accedere. Quod in primis apparet ex eo loco ad quem idem vir doctus nos revocat:

A2,632: ,Ac ducente deo] secundum eos qui dicunt, utriusque sexus participationem habere numina. Nam ait Calvus ,pollentemque deum Venerem.' Item Vergilius ,nec dextrae erranti deus afuit,' cum aut Juno fuerit, aut Allecto. Est etiam in Cypro simulacrum barbatae Veneris, *corpore et veste muliebri, cum sceptro et natura virili, quod Ἀφρόδιτον vocant, cui viri in veste muliebri, mulieres in virili veste sacrificant.'*

Macrob. Sat. III, 8, 1 sqq.: ,. . . cum ille (Vergilius) doctissime dixerit ducente deo, non dea. Nam et apud Calvum Aterianus adfirmat legendum ,pollentemque deum Venerem' non deam.

Signum etiam eius est Cypri barbatum corpore sed veste muliebri, cum sceptro ac natura virili et putant ,eandem marem ac feminam' esse. Aristophanes eam Ἀφρόδιτον appellat . . Philochorus quoque in Atthide eandem adfirmat ,esse lunam et ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili, quod eadem et mas aestimatur et femina.'

Perclare videmus hoc loco breviorem Servium partem tantum fontis exscripsisse. Satis enim obscure explicationem de genere nominum deorum finivit his verbis: ‚est etiam in Cypro simulacrum barbatae Veneris,' quae ut intellegamus ‚additicia', ut Thiloni placet, verba consulamus oportet. Deinde Macrobius nos docet, hanc barbatae Veneris narrationem a breviore interruptam, a pleniore totam traditam esse.

Transiit Thilo ad ‚additamentorum' genus, cuius plura exempla amplius explanavit pag. VI sqq.

Primum disputat de A 1, 52:

‚Aeoliam venit] novem insulae, quae sunt post fretum Siciliae, appellantur Aeoliae ab Aeolo rege, *Hippotae filio*, licet habeant et propria nomina. Unde et Vergilius ait ‚Aeoliam Liparen'. Poetae quidem fingunt hunc regem esse ventorum, *Hippotae sive Jovis sive Neptuni filium. Qui cum immineret bellum, quo Tyrrhenus, Lipari frater, Peloponnesum vastare proposuisset, missus ab Agamemnone, ut freta tueretur, pervenit ad Liparum, qui supra dictas insulas regebat imperio, factaque amicitia Cyanam filiam eius in matrimonium sumpsit et Strongulam insulam in qua maneret accepit. Varro autem dicit hunc insularum regem fuisse* *sed ut Varro dicit, rex fuit insularum*, ex quarum nebulis et fumo Vulcaniae insulae praedicens futura flabra ventorum inperitis visus est ventos sua potestate retinere'.

Verba his notis inclusa *..* omisit plenior S., falso igitur Thilo commemoravit ‚Hippotam Aeoli patrem a pleniore bis nominatum esse'.

Recte autem monet, quae Cassellano peculiaria sunt, non ad ventorum regimen pertinere: sed falso inde concludit ea verba additicia esse. Plenior enim Servius non solum, quod explanavit etiam brevior, de regimine ventorum, sed etiam de Aeoli genere atque origine et rebus ab eo gestis pauca narravit. Brevior autem satis habuit de altera re, regimine ventorum disserere. Qua re inter se differunt. Sed cur non potuit ille sibi proponere, ut primum sub lemmate ‚Aeoliam venit' quod de Aeoliis insulis inter omnes constabat proferret, deinde varias poetarum de hac re fictiones enarraret, postremo certam Varronis explicationem eius rei praeberet? Per se igitur nihil obstat quominus e pleniore sua

sumpserit brevior Servius et *. .* ea breviter narraverit quae noluit accuratius referre.

A 1, 78: ,Tu mihi quodcunque hoc regni] rediit ad physicam rationem. Nam motus aëris, id est Junonis, ventos creat, quibus Aeolus praeest. Dicendo autem ,quodcunque' aut verecunde ait, ne videatur adrogans *aut quia ipse rex sub alieno imperio est* aut latenter paene iocatur poeta, quis enim potest ventos, id est rem inanem tenere? *,Quodcunque' ergo quod ,clauso ventorum carcere regno', nec in mea manu est nisi iusso ventos emittere.'*

Verba illa plenioris atque brevioris Servii ,Dicendo . . . poeta' Thiloni non apte composita esse videntur. Prima enim et secunda sententia, quamquam artius inter se cohaerent, eadem particula ,aut', qua tertia seiunguntur. Sed etsi similia, tamen non eadem notantur: hic Aeolus ,verecunde ait' quod speciem arrogantiae vitare vult, illic quod obsequio cogitur. Recte autem monuit vir doctus illud ,quodcunque ergo . .' ad antecedentem sententiam referri non posse: neque putaverim ipsum pleniorem Servium id voluisse: immo arrogantia sive modestia explicata redit ad verba his ,latenter . . tenere' antecedentia. Qua re etsi conexus sententiarum paullulum interrumpitur, tamen formam neglectam grammatico quarti saeculi condonare licet.

A 1, 127: ,Placidum caput] quaerunt multi quemadmodum ,placidum *caput'*, si ,graviter commotus'? quasi non possit fieri, ut irascatur ventis, propitius sit Troianis. *Epitheta enim alia naturalia sunt, alia ad tempus. Et ,placidum' ut naturale Neptuni est, ita ,graviter commotus' ad tempus ob factam tempestatem.* Uno autem epitheto more suo habitum futurae orationis ostendit, ut alibi uno sermone ,tum quassans caput'.

Recte Thilo monuit in Cassellano codice diversas interpretationes ,enim' interposito falso coniunctas esse quasi prior altera confirmaretur. Alia res autem non obstat, cum verba ,Uno . . caput' ad utramque expositionem quadrent. At de singulis coniunctionibus difficillimum est iudicatu quod facile a librariis corrumpebantur vel neglegebantur, praesertim cum persaepe notis vel signis tantum in libris manu scriptis significarentur. Velut nullam iam offensionem praebere pleniorem commentarium censeo, pro ,enim' si ,etiam' legimus.

A 1, 281: ,Consilia in melius referet] εἰς τὸ κρεῖττον. *Et est Latinior elocutio: Sallustius ,ad mutandum modo in melius servitium': quia* bello Punico secundo ut ait Ennius placata Juno coepit favere Romanis.'

Caute dixit Thilo hunc locum male expositum esse ,Cassellano si credimus'. In breviore enim commentario argumenti interpretationem habemus, in pleniore autem et hanc legimus et elocutionis explicationem neque eas satis certe disiunctas. Itaque veri simillimum est id vitium codicum, non scriptorum esse. Ergo necesse est non tam cum Thilone lemmate iterato verba Serviorum segregemus, quam coniunctioni ,quia' aliquid velut ,atque id' anteponamus[1]).

A 1, 562: ,Solvite corde metum Teucri] sicut supra Jovis oratio, *partim obiecta purgat* partim petita promittit, *nam et in Aeoli oratione statim promittit.* Sciendum sane quia cum petuntur vel promittuntur aliqua, a validissimis inchoandum est, ut hoc loco. *Praecipue qui pollicetur statim debet promittere, tunc subiungere si qua vult, ne expectatione suspensus detineatur auditor.* Et est genus argumenti a necessario'.

Cum Thilone consentimus illud plenioris Servii ,nam et in Aeoli oratione statim promittit' post brevioris ,promittit', si non ,inepte' at certe supervacue insertum esse.

Itaque ea pleniora verba a viro docto segregantur. Sed hoc remedium plane reiciendum est. Nam si verba illa tamquam subditicia seclusa aliis plenioribus scholiis ,Praecipue qui . . . . auditor' cum Thilone adiecimus conexus divellitur qui optimus erat. At totus ille locus corruptus plenioribus libris ad hoc tempus pervenit: omisit enim plenior Servius verba ,partim obiecta purgat' ut in hoc commentario ,partim' non alteri particulae ,partim' sed voci ,statim' respondeat. Dubium igitur est, num recte hoc loco Thilo transponendi artificio usus sit. Certe non debebat plenioris Servii verba quae ad antecedentia breviora quadrant ,praecipue qui . . auditor' nulla causa prolata segregare adverbio ,praecipue' deleto.

---

[1]) A 1, 545 valde corruptus est locus neque quicquam certi de hac re dici postest in qua ne Thilo quidem diu versatur.

A 2, 46: ,In ligno] *merito quasi dissuasor adfectavit tapinosin dicens ligno,* *bene ,ligno' quasi dissuasorie*, non simulacro, *infirmare enim vult fictam eorum religionem* ut paulo post ,ducendum ad sedes simulacrum'. Nam in suasione vel dissuasione tam sensus quam verba considerantur'.

Duo Servii cum diversa explicaverint, Thilo non debere eorum scholia confundi censuit. Inde enim orditur, cum de hoc commento disserat, quod brevior commentarius quo vocem ,ligno' a poeta apte delectam esse ostenditur, plenioris Servii verbis auctus sit, quibus a funesta superstitione Laocoon suos avertens inducitur. Neglexit igitur, pleniorem Servium si ea tantum, quae ei peculiaria sunt, legeris, mancum esse, cum certe illud ,non simulacro' desideremus.

Contra plenior Servius integriorem huius loci interpretationem servasse videtur quam brevior. Ille enim praeter id quod uterque tradit causam huius explicationis verbis ,infirmare enim . . .' commemoravit. Neque video cur Thiloni illud ,ducendum ad sedes simulacrum' ad ,infirmare enim . . .' appositum esse videatur, quoniam luce clarius est, ,simulacrum' ad unum illud ,ligno, non simulacro' respicere. Praeterea animadvertamus brevioris Servii verba * . . * quae in pleniore libro non leguntur, facile ex eius verbis ,merito . . ligno' desumpta esse posse.

A 2, 344: ,Et gener] ,gener' dicitur et qui est, et qui esse vult, ut hic indicat locus, *vel certe secundum spem illius; neque enim iam erat gener; nam ideo subiunxit sponsae. Sic dicitur* *sicut* etiam maritus, unde est ,quos ego sim totiens iam dedignata maritos'.

Negat Thilo secundum morem genuini Servii tam similes inter se interpretationes coniungi: qua de re nemo umquam certum iudicium proferet. Nam cum facile plenioribus careamus, eodem iure ea addita esse ab hoc atque omissa ab illo dici potest.

De eo quoque dubitat vir doctus num ,vel certe' illud ab ipso grammatico profectum sit atque pag. XVIII monet breviorem Servium et ipsum ,vel certe' vel ,aut certe' posuisse. Qua occasione oblata ,paucissimis' Thilonis locis addiderim duos locos quibus ,aut certe' scripsit brevior Servius neque ,aut' vel ,vel' praecedit (cf. pag. XVIII): A 6, 468 atque A 10, 711.

A 3, 85: Aegre fert Thilo quod plenioris Servii verbis bre-

viora quae arctissime cohaerent, seiunguntur. Neque infitior optime a Servio breviore ‚Thymbraei' nomen derivari a loco thymbra pleno in quo Apollinis templum est. Amplius idem explicat plenior Servius: veriloquio vocis ‚Thymbraeus' commemorato breviter dicit, quae sit thymbra, deinde bene fecisse docet poetam quod Aeneas deum quem ‚Thymbraeum' in illo Troiano agro Apollini sacro coluerat, eodem nomine appellat ‚Deli positus'.

Videmus igitur utramque interpretationem optime intellegi neque moleste ferri quod plenioribus breviora seiunguntur, cum non minus quadrent illa verba ‚in quo eius et nomen . . .' ad pleniora quam ad breviora.

A. 4, 65: ‚Heu vatum ignarae mentes] non sacerdotes vituperat quasi nescios *futurorum*, sed vim amantis exprimit, et inde vituperat sacerdotes *ignaros ergo amoris reginae qui admonuerunt non credituram quia illa alias causas litationis praetendebat, et ideo vota non perficiebat:* *qui admonuerunt non credituram*: nam omnia futura a sacerdotibus praedicta esse, sequens indicat locus, ut ‚multaque praeterea vatum praedicta priorum'.

Locus intellectu difficillimus: cuius prima pars ‚non sacerdotes vituperat quasi nescios *futurorum*' confirmatur eo quod scriptum legimus in extremo eo scholio ‚nam omnia futura a sacerdotibus praedicta esse . . . priorum' atque ipse Thilo concedit ad nullam rem ea revocari posse nisi ad primam commentarii partem. Attamen ille verba eo non transposuit quo necesse erat, cum id unum ageret, ut pleniora verba tamquam aliena notaret. Ita vero cum legamus inter illas duas sibi cognatas sententias prorsus alia verba arte inter se cohaerentia: ‚sed vim amantis exprimit et inde vituperat sacerdotes qui admonuerunt non credituram' facere non possumus quin alteram primae partis sententiam ‚nam omnia . . . priorum' falso referamus ad ‚sacerdotes qui admonuerunt non credituram'.

‚Deinde obscurum est quo haec referenda sint, *quia illa alias causas litationis praetendebat et ideo vota non perficiebat*', cum dicat Thilo pag. VIII, plane cum eo consentio. Sed causae Thilonis mihi non probantur, quod et brevioris et plenioris Servii antecedens illud ‚qui admonuerunt non credituram' corruptum esse mihi videtur. Neque enim ullo modo a Vergilio dicitur de vatibus reginam admonentibus, de regina monitis non creditura, neque omnino dici poterat, cum vates, ut recte adnotat plenior Servius,

ignari essent reginae amoris[2]) atque verae sacrificii causae nescii. Sola enim Anna Didonis soror noverat reginae ‚flammam'. Ergo totus ille locus et brevioribus et plenioribus libris manu scriptis corruptus ad nos pervenit neque quicquam refert, utrum pleniora a brevioribus seiungantur nec ne, cum vitium illud ‚qui admonuerunt . .' non tollatur.

A 8, 173: ‚Annua quae differre nefas' anniversaria sacrificia *id est sollemnia,* ideo non differuntur, quia nec iterari possunt. *Sollemne autem hoc esse ipse ait ‚forte die sollemnem illo rex Arcas honorem'.* Nam kalendaria si qua fuerint ratione dilata, possunt repeti, nec piaculum eorum intermissione committitur. *Sane hoc sacrum pollutum vocatur, quod populo annis singulis luitur'.*

Pleniora Thilo cum breviora corrumpere viderentur, ut additamenta segreganda esse in praefatione monuit. Neque seclusis plenioribus verbis nego brevioris Servii verba paullulo clariora esse. Attamen etsi minus placet haec illis, certe non sensu caret diffusior explicatio. Quae cur ex breviore corrupta esse iudicanda sit, non video. Possunt enim excerpta eis clariora esse, ex quibus excerpta sunt. Ceterum commemoraverim illud ‚*sollemne — honorem*' praeter Floriacensem (plen.) codicem etiam editionem Stephani quae ante pleniores libros editos curata est[3]) habere.

Aliis locis idem Thilo docuit coniunctionibus, rationalibus praesertim et causalibus, inepte amborum Serviorum verba conexa esse, ut quae in Danielinis libris inter se coniuncta sunt, non possent sic in antiquo aliquo commentario coniuncta fuisse[4]). Videamus igitur haec:

A 1, 20 recte vidit Thilo coniungi in Cassellano plane contrarias interpretationes coniunctione ‚ergo' interposita, ut haec illam ‚confirmare' videatur, quod certe fieri non potuit. Qua de causa ille alteram sententiam a solo pleniore Servio scriptam lemmate ‚audierat' iterato seclusam scripsit: atque cum, quomodo-

---

[2]) ‚Ignaros' pro ‚ignarae' scribendum atque ‚ergo' delendum esse puto. Ceterum plenioris Servii verbis ‚ignaros amoris' carere non possumus, quod in breviore commentario contrarii aliquid eorum quae antecedunt ‚nescios futurorum' desideramus.

[3]) cf. Thilo, pag. XCIII.

[4]) cf. Thilo, pag. VIII.

cunque sensum restituimus, ‚ergo‘ illud nobis delendum sit, pro iterato ‚audierat‘ non minus apte ‚aut‘ scribere possumus. Jam igitur existit quaestio, utrum cum Thilone pleniora verba tamquam additicia segregare an alia correctione adhibita plenioris atque brevioris commentarii continuationem servare velimus.

At ut supra dixi difficillimum est de singulis coniunctionibus iudicare, quae saepe notis tantum significabantur. Etiam A 4. 132 pleniorem Servium coniunctione ‚ergo‘ inepte usum esse Thilo recte explicavit atque complures eius modi locos enumeravit, etsi non negavit aliis plenioribus locis illud ‚ergo‘ suam vim habere; neque illi soli, verum etiam breviori Servio vitio vertitur quod verba male inter se coniuncta reperiuntur[5]).

Praeter illam coniunctionem ‚ergo‘ alias falso a pleniore Servio usurpatas esse dicit Thilo, qui censet illum e Vergilianis commentariis atque exemplaribus hausisse neque cum illa brevioribus verbis adiceret, curasse coniunctiones num ad ea quadrarent[6]).

Velut A 1, 123: ‚Imbrem] imber dicitur umor omnis, *veteres enim omnem aquam imbrem dicebant,* ut Lucretius ‚ex igni terra atque anima nascuntur et imbri‘ *Ennius imbrem pro aqua marina ‚ratibusque fremebat imber Neptuni‘* *id est umore*.‘

Sagaciter Thilo pleniora hoc loco segregavit a brevioribus atque duo bona scholia constituit. Quaeritur autem num idonea causa permotus sit, ut tam violentam medelam adhibeat: quod nego. Nam sicut Ennium, etiam Lucretium atque Vergilium inter veteres numerari, primo capite demonstravimus.

Plenioris autem Servii verba ‚veteres enim omnem aquam imbrem dicebant‘ etsi satis supervacua sunt, tamen non opus est transponere aut delere, cum nec sententiarum structuram nec verborum sensum corrumpant: immo haud inepte ex observatione illa in Lucretio et Ennio instituta universus veterum usus repetitur.

A 1, 134 nihil invenitur; alios locos Thilo enumeravit tantum, sed etiam hic lubricum est de singulis vocibus iudicium ferre, praesertim cum plenioris Servii textus multo deterius quam brevioris nobis traditus sit[7]).

---

[5]) cf. Thomas, pag. 176.

[6]) cf. Thilo, pag. IX.

[7]) cf. Thom. pag. 146.

‚Postremo breviora scholia ut plenioribus adaptarentur haud paucis locis admodum violenter mutata sunt[8])‘:

Velut A 1,248: ‚Armaque fixit *Troia* *non necessaria quasi consecravit; figere enim consecrare hic debemus accipere, ut ‚postibus adversis figo.‘ Et hoc significat,* *hoc est*, securus est quia solent missi militia sive gladiatura quibuslibet templis arma suspendere, ut Horatius ‚Veianius armis Herculis ad postem fixis et Danais de poste refixum‘.

Thilo ‚et hoc significat‘ delevit, ut brevioris Servii illud prorsus simile ‚hoc est‘ non supervacuum esset, quamquam ut illud interpolatoris ita hoc breviatoris esse potest. Sequitur enim legem quam sibi scripserat[9]) cum mallet in iis locis plenioris commentarii contextum solvere quam auctoritatem breviorum librorum spernere. Neque aliter res ceteris locis se habet, cum inter varias duarum recensionum lectiones ut haec ita illa integra haberi possit, nisi certis de causis altera praeferenda est: nulla autem certa argumenta attulit Thilo, quo accedit quod et plenior et brevior commentarius mutata forma servatus est[10]), ut res magis lubrica sit.

Itaque etiam ea dubia sunt quae Thilo ad A 4, 215 disputavit quamquam rem ita explicari posse negare nolo.

Extant enim eo loco tres lectiones: plenior codex Floriacensis amplissimum commentum praebet, alter plenior codex Turonensis eadem initio paullulum mutata exhibet praeter Vergilii versum aliquem, solum hunc versum scripsit brevior Servius.

Quas varias codicum lectiones ita Thilo explicat: brevior Servius similem quendam versum noni libri laudavit atque auctor Floriacensis libri, ut ei versui adaptaret quae in codice Turonensi legit, haec verba mutavit.

At Turonensia scholia paullo inferiore tempore quam Floriacensia scripta esse videntur[11]).

Atque eodem iure contrarium dixerit aliquis, breviorem Ser-

---

[8]) cf. Thilo, pag. X.

[9]) cf. Thilo, pag. X.

[10]) cf. Thilo, pag. XLVI, LIX.

[11]) cf. Thilo, pag. LIX et LXII.

vium e pleniore commentario solum illum versum exscripsisse, quod ab eo saepe fieri infra invenies, atque Turonensis codicis librarium, cum super versum scholium ex eodem fonte haustum scriberet[12]), spatii inopia interpretationem versus quam similem versum adscribere maluisse.

Denique moneo ipsum Thilonem pag. X dicere Schoellium quibusdam locis suo iure dubitasse, num recte ab ipso pleniora verba seorsum posita essent. Ille enim iis locis transponendi artificio repudiato textum emendari vult, quod nos supra aliis locis commendavimus. Atque ipse Thilo in III, IV, V libri commentariis parcius illud artificium adhibuit, quod, ut ait, a tertio libro incipit Turonensis codicis usus, ex quo quae fuerit olim additiciorum scholiorum forma facile cognosci potest.

Additionum generi etiam ideo attribuunt viri docti pleniora scholia quod plenior Servius diversas eiusdem loci interpretationes collegerit nullo addito de singularum auctoritate iudicio[13]). Cuius rei exempla cum Thilo non enumeret, quippe quae facile reperiantur, in universum de hac re disseremus. Quaeritur enim num de aetate scholiorum certi aliquid erui possit, si videmus in altero commentario a scriptore unam sententiam probatam esse, in altero autem multas eiudem rei explicationes lectori ad eligendum proponi. Videtur enim alter sine consilio sua coacervasse, alter sapienter commentarium composuisse. Tamen cave ne breviorem Servium aetate superiorem pleniore fuisse inde colligas. Erraret enim si quis existimaret temere et imprudenter pleniorem suas copias congessisse[14]), quod vel inde patet quod saepissime iudicia ab aliis contra Vergilium allata sua sponte refutavit[15]) atque operam dedit, ut Vergilii verba apte coniungerentur vel disiungerentur[16]).

At alia sunt quibus Thilo opinionem suam firmare studet: qui monet duos Servios diversas revocandi formulas usurpasse ita

[12]) cf. Thilo, vol. I, pag. 503, adn. critic. 12.

[13]) Thilo, pag. XIII; Thom. pag. 49, 105.

[14]) Amplius de ea re primi capitis adnotatione 89 dixi.

[15]) Thomas pag. 86 multos eos locos enumeravit.

[16]) Thomas pag. 87; idem pag. 48 dicit pleniores libros non sine iudicio compositos esse.

ut brevior Servius personaliter, plenior impersonaliter dicere soleret[17]). Thiloni autem cum rei natura pugnare videtur quod libri scriptor aliquis impersonaliter, eiusdem breviator personaliter dixit, ne quis dicat, breviorem Servium, cum auctorem suum pleniorem Servium ,ut dictum est, locutum videret, varietatis studio commotum formulam ,ut diximus' usurpasse, ut etiam personali ea elocutione speciem docti atque eruditi hominis prae se ferret.

Attamen censeo omnes concessuros esse eodem iure ut personalem ita impersonalem elocutionem praecipue in scholiis undique collatis ipsius scriptoris haberi posse: de iis enim rebus certum iudicium nemo umquam proferet. Accedit autem quod quae Thilo affirmavit omnino certa non sunt: A 5, 498 brevior Servius scripsit ,de quo verbo plenius dicturi sumus illo versu...', idem plenior, sed pro ,dicturi sumus' ,dicitur' habet, quam discrepantiam inde Thilo repetit ,quod plenioris commentarii auctor breviore ut dudum absoluto utebatur' neque cogitat aliter eam explicari posse, quamquam etiam in brevioris Servii libris inveniuntur, quae impersonaliter dicta sint ,ut A 1, 431: ,quod in quarto georgicorum melius intelligitur' et 8,526 ,ut in georgicis ostenditur'. Atque ut hoc ita alia exempla satis incerta sunt.

Etsi enim pag. XIV priora novem A 3, 70—550 huc pertinent, aliter res se habet in posterioribus septem A 1, 157 sqq. A 1, 157 enim ,ut supra dictum est' non modo C, sed etiam M, ut ipse Thilo dicit, habet: qua re hoc argumentum iam nihil viget. Porro A 1, 231 illud ,ut dictum est' non plenioris Servii C, sed breviores libri B et M habent. Aliis locis a Thilone laudatis frustra quaesiveris revocationis formulam, ut A 1, 665: 2, 562. A 2, 20 autem et 4, 672 Thilo non adnotavit, ut facere solet, pleniorem lectionem recedere a brevioris Servii ,ut diximus' atque 2, 142 in pleniore codice utramque formulam desideramus. Alia autem exempla insunt in Serviano commentario quae plane pugnant cum Thilonis opinione: legimus enim in plenioris Servii libris ,sicut supra diximus' (A 2, 152; 4, 246; 10, 164). Quo accedit quod usitata plenioris Servii dicendi ratio est non magis impersonaliter quam personaliter loqui, velut A 1, 414, 432, 505, 637;

---

17) Thilo, pag. XIV.

2, 445, 729; 3, 470 etc. Apparet igitur neque Thilonis opinionem firmatam esse, ut valeat ad certi quicquam statuendum neque etsi exemplis firmata esset, fieri posse, ut colligeretur eum qui personaliter scripsisset eo qui impersonaliter superiorem esse.

Deinde etsi variae eiusdem rei interpretationes saepe ab utroque Servio ‚aliis' vel ‚quibusdam' attribuuntur, tamen aliquot locis brevior Servius eorum quorum sententias protulit, nomina posuit, in plenioribus autem libris eadem ad certos auctores non revocantur[18]. Etenim novem locos enumeravit. Thilo quibus verba a breviore Servio Urbano vel Donato addicta a pleniore ‚aliis' vel ‚quibusdam' tribuuntur. Quam differentiam in uno codice Floriacensi inesse monuerim, nam nihil unquam de aliorum plenioris Servii codicum lectione Thilo adnotavit[19]. Fortasse igitur librarius nomina omisit, non commentator. Sed nolo urgere. Mittamus rem lubricam, ex qua ne Thilo quidem certi quicquam concludere voluit. Hoc gravissimum est, quod inter viros doctos constat in testimoniis plenioris multo maiorem esse fidem quam brevioris[20].

Neque alienum est ab hac re, quod, ut ait Thilo pag. XVI, ‚haud paucis locis quae in breviore commentario dicta sunt in plenioribus libris iterantur idque ita non nusquam ut ‚aliis' tributa sint'.

Cui generi recte adscripsit A 1, 448; 2, 348 neque dubito quin iure ea pleniora uncis incluserit. Alios locos enumeravit Thilo quibus non iterantur ab hoc quae ab illo narrantur, sed similia argumenta plane diversis verbis ab utroque scriptore explicantur, velut A 1, 462: ‚Mortalia] adversa, quibus constat subiacere mortales. *Alii mortales casus accipiunt, vel absolute τὰ ἀνθρώπινα*'.

Nihil obstat quominus haec e diversis desumpta ut diversae interpretationis specimina unus commentator collegerit. Eadem res est in aliis Thilonis exemplis: 2, 99, 126, 644; 3, 466; 8, 406.

Deinde A 8, 220 brevioribus verbis quae sunt: „gravatum'

---

18) Thilo, pag. XIV sq.

19) Dubius locus A 2, 798 e Parisino 1750 desumptus esse videtur.

20) Thilo, p. XXXII et pag. XXXIV.

autem pro ‚grave‘ posuit, nam ‚grave‘ est per naturam ponderosum, ‚gravatum‘ quod oneratur extrinsecus“, in pleniore commentario haec apposita leguntur: *‚sed quidam melius ‚gravatum‘ quam ‚grave‘ dictum volunt, quasi extrinsecus nodi sint additi.‘* Optime plenior Servius ‚quorundam‘ de ea re sententiam adiecisse mihi videtur alteri quam solam commemoravit brevior: apparet enim breviorem Servium aegre tulisse, quod poeta ‚gravatum‘ scripsit neque maluit cum de re per naturam ponderosa ageretur, dicere ‚grave‘. Plenior autem dicit ipsum illud ‚gravatum‘ a quibusdam anteferri quod non de re gravi — id est per naturam ponderosa — sed de ‚nodis extrinsecus additis‘ poetam dicere putarint. Ad iterationis igitur argumenta hic locus diversis plenus revocari certe non potest.

A 8, 393 plenior Servius scripsit haec: *‚Formae conscia coniunx] intellexit se sola pulchritudine pervertisse mentem mariti. Alii duabus rebus Venerem volunt maritum adgressam, dolis et pulchritudine: et volunt ‚dolis et formae conscia‘, quam ‚laeta‘, et formae melius dativo casu quam genetivo‘.*

Non recte mihi Schoellius ‚et formae‘ voces delevisse videtur, quoniam hoc loco agitur de duabus rebus et ‚dolis‘ et ‚forma‘. Equidem ‚velle‘ positum esse puto pro ‚malle‘ et cum ‚quam‘ particula. Necesse autem est supplere sententiam sic: ‚quam laeta dolis‘.

At hoc parvi momenti est: ad ipsum commentarium nos convertamus: atque primum quidem plenior Servius secundum lemma de sola forma vel pulchritudine dixit, qua una re mens mariti perversa esset. Deinde aliorum sententiam de hoc versu profert, qui duabus rebus voluerunt mariti mentem perverti, et dolis et pulchritudine, atque addit eorumdem virorum sententiam de ratione grammatica quae hac diversa interpretatione paullum commutatur. Habes igitur scholium clarum atque integrum, in quo neque quicquam desideratur neque moleste fertur.

Aliter brevior Servius hoc commentum composuit: ‚Formae conscia coniunx] intellexit se dolis et pulchritudine pervertisse mentem mariti‘.

Clare videmus inepte egisse Servium breviorem. In lemmate scilicet scribere debebat ‚dolis et formae conscia coniunx‘, cum interpretatio latius pateat. E Thilonis autem sententia pro ‚dolis

et pulchritudine' a pleniore Servio scriptum est ‚sola pulchritudine', nimirum ne eadem viderentur quae addita sunt: ‚alii . . . .'. At certe eodem iure contra eum dixerit aliquis breviorem Servium e duabus plenioribus sententiis, quibus scriptum legimus hic ‚sola pulchritudine' illic ‚dolis et pulchritudine' contractum ‚dolis et pulchritudine' illud formasse.

Neque alia exempla quae Thilo pag. XVI affert, firma esse videntur, velut A 3, 36: ‚Levarent] bonum ac leve facerent, *id est in bonum converterent*'. — Non video, cur supervacuum plenioris illud nominem, cum praeter brevioris Servii frigidam explicationem plenior latinae linguae verum atque usitatum sermonem adscripserit. Neque offendor vicinis locis similia adnotari, ut A 1, 539 et 541:

brev: ‚rhetorice vituperaturus mores non ad Didonem loquitur, sed ad tertiam se confert personam'.	plen: ‚Et bene ‚cient' et ‚vetant' permanet in tertia persona, ne eos e. q. s.'

Quae similitudo non tam ex imitandi studio, quam ex eadem versuum structura orta est.

Etiam diversam eiusdem Vergiliani loci memoriam duo Servii sequuntur: quod recte Thilo pag. XVII declarat non unius interpretis esse.

Sed addendum esse puto discrepantias lectionum tam parvas esse, ut ambo commentatores idem explicent[21]).

Quae sequuntur plane atque perspicue nos docent Thilonem ab altera tantum ratione quae inter Servios intercedere potest profectum omnia explicare. Dicit enim pag. XVII: ‚Coniunctionibus quibus scholia Danielinorum librorum propria vulgatis adnexa esse videmus, iisdem Servius usus est vel ad memorabiles res addendas vel ad diversas sententias proferendas vel ad continuandam expositionem sive argumentationem: ut Servium ipsum is qui pleniorem commentarium composuit videatur imitatus esse'. Moleste enim fert quod plenior Servius nimis ad novas interpretationes Servianis adiungendas ‚sane' particulam frequentavit, etsi non negat saepe etiam apud eum illud ‚sane' suam vim habere. Paucis igitur locis ‚sane' Thilo delevit atque quibusdam

---

[21]) cf. exempla quae ibi Thilo attulit. A 3, 670 ‚dextra' pro ‚dextram' librariorum errore scriptum est.

locis id recte factum esse concedo, praesertim cum, ut saepe dixi, tales voculas facile a librariis adderentur vel immutarentur. Sed Thilonis ad A 5, 144 coniecturae mihi non probantur: delevit enim ‚sane' atque lemma ‚biiugo' iterum scripsit, quod parum consentirent duorum grammaticorum scholia, cum alter de forma, alter de ipsa re pauca diceret. Quod etsi ita se habet, tamen non est cur coniunctione ‚sane' illud conecti posse negemus, cum ipse Thilo paulo ante dicat, eam ab ambobus Serviis (cf. A 2, 39) ad diversas res adiungendas usurpari. Sed ut finem faciamus, de ratione commentatorum nihil evincitur coniunctionibus; nam ipse Thilo dicit, breviorem Servium iisdem uti quibus plenior: quod autem hic saepius eas usurpat illo, non miramur, cum multo plura proferat.

Atque ut ad extremum veniamus, permulta quae pleniori Servio vitio vertuntur communia sunt cum omnium commentatorum atque grammaticorum, tum ipsius brevioris Servii peccata, cuius interpretationem ineptiarum admodum plenam esse notum est[22]). Unum addo. In explicatione A 4, 672 ad antecedentem locum revocat, quo amplius idem exposuerat — prorsus contrarium in modum. Praeterea additamenta in Servianis commentariis insunt inutilia atque futtilia quae ab Italis atque librariis adscripta[23]) vel quae etiam ab Iricis velut in Autissiodorensi codice addita sunt[24]). Ceterum dubitare non possumus quin ambo commentarii partim minuti partim aucti, certe commentati ad nos pervenerint[25]): ergo inprimis parvas discrepantias neque breviori neque pleniori Servio, sed temporum invidiis opprobrio danda esse videntur.

Jam omnibus causis atque argumentis deliberatis videmus, Thilonis argumenta eodem iure contra eius opinionem adhiberi posse.

Altera enim ratione earum quas (p. 22) inter Servios intercedere posse diximus neglecta a Thilone quominus utamur in hac

---

[22]) cf. Thilo, pag. XI, XII, vol. III, pag. V; Thom. pag. 239 et 242; conferas porro quae Thilo pag. XXIX de breviore atque pag. XXXIII de pleniore Servio dicit.

[23]) cf. Thom. pag. 171; Thilo, pag. VII, XVII, vol. I, 1, pag. IV.

[24]) cf. Thilo, pag. LXII.

[25]) cf. Thom. pag. 159 adn. 2.

quaestione, nihil est quo impediamur. Sed etsi non impedimur, quominus ea utamur nondum ut hanc sequamur illam neglegamus cogimur. Causae igitur quaerendae sunt ut tandem ad certum perveniamus iudicium.

Diligenter quaesivere viri docti quas res Servii explicaverint. Quare breviter comprehendam, quae nobis utilia sunt. Plenior Servius varia conglomeravit: sicut brevior ita etiam hic in rebus grammaticis studia collocat[26], saepe doctrinam Vergilii quam subtilis quamque recondita fuerit, demonstrat[27], inprimis res sacras, deorum et heroum fabulas narrat[28] atque omnes antiquitates commemorat[29]. Brevior autem Servius grammaticarum rerum permultum rationis habet, sed alias illas res paene neglegit[30]. Attamen commentarii non ita compositi sunt, ut brevior Servius grammaticas quaestiones explicet, alias res adiciat plenior: saepe eius rei plane contrarium invenitur: argumentum vel rem quae ad lemma spectat, exponit brevior Servius, idem docet plenior atque addit grammaticam interpretationem.

Velut A 1, 301: ,Citus] *pro cito, adverbium temporis in nomen deflexum. Et bene hoc de Mercurio;* cum enim alia signa tarde ad ortus suos recurrant, Mercurius octavo decimo die in ortu suo invenitur'[31].

Videmus igitur id quod ipsius brevioris Servii esse dicitur, saepe non ab hoc, sed a pleniore Servio scriptum esse; unde efficitur, ut non totus brevior commentarius aequali habitu ac tenore sit[32].

Quamquam certe maiore aequalitate is commentarius esse videtur cuius adnotationes atque interpretationes satis parvae facile intelleguntur atque brevi in conspectu positae sunt quam pleniores commentarii in quibus, ut supra dixi, varia scripta leguntur[33].

---

26) Thilo, pag. XX.

27) Thilo, pag. XXVI.

28) Thom. pag. 50.

29) Thom. pag. 77; inprimis 57 sqq. 86 sq.

30) cf. Thilo, pag. XXVIII; Thomas, pag. 206, 231.

31) cf. A I, 20, 30, 323; 8, 717 et alios locos.

32) cf. Thilo, pag. XXVII, LXXIV; Thomas pag. 182.

33) Attamen hic liber unius scriptoris consilio compositus est. cf. Thilo, pag. LXVI.

Sed iam satis multa de commentariorum argumento: dispositionem atque naturam eorum videamus. Putaverit enim quispiam, cum viri docti, ut supra dixi, plenioris Servii scholia additicia appellare soleant, plenioris Servii verba post breviora scholia posita esse. Atque re vera magna pars ita scripta est, sed inserta sunt etiam permulta brevioribus atque ea eiusmodi, ut artissime inter se cohaereant et eiusdem generis esse videantur.

Consideremus enim hos locos:

A 1, 199: ‚O passi graviora] arte magna utitur. Vult enim eos meminisse gravissimum, ut praesentia facilius tolerent. Et bene graviora dicit esse transacta *ut de praesenti eos naufragio consoletur et* ut ostendat futura esse leviora'. Cum transacta praesentia, praesentia futura bene sequuntur, tum universe illud dictum ‚praesentia' plenioris Servii verbis ‚de praesenti naufragio' optime explicatur. Non multo aliter res se habet A 4, 207: ‚.. Officia enim in deos, licet aeternam habeant gratiam *et spectent tam praeteritum quam futurum* tamen in praesenti plus valent'.

A 1, 201: Cyclopea saxa] aut quae Cyclops in Ulixen iecit aut certe Siciliam dicit *quae plurimis locis saxosa promunturia habet* in qua Cyclopes habitaverunt, ut ipse ‚centum ..' Possumus tamen et Aetnam accipere *quae propria Cyclopum fuit*'.

Ne in rebus dilucidis multus sim, eos solos locos e quibus, quod docere mihi propositum est, statim apparet affero nulla voce apposita: A 1, 204: ‚Sedes quietas] non vacat quod adiecit ‚quietas'. Habuit enim sedes et in Thracia *sed portentosas* et in Creta, sed *pestilentes et ideo* non quietas'.

A 1, 475: ‚Infelix] multi hoc loco distinguunt *et subiungunt ‚puer atque impar congressus Achilli' ut ex eo imparem ostendat, quod puer; sed* tamen etiam si iungas ‚puer', unus est sensus'[34]).

A 1, 570: ‚Eryx Veneris et Butae *vel ut quidam volunt Neptuni* filius fuit, qui *praepotens viribus advenas caestibus provocabat victosque perimebat. Hic* occisus ab Hercule monti ex sepultura sua nomen imposuit'. A 2, 37: ‚Subiectisque urere flammis] ‚que' copulativa coniunctio est, ‚aut' disiunctiva. Quomodo ergo has iunxit, *cum*

---

[34]) cf. infra pag. 47 ad 5, 404.

non utrumque, sed alterutrum fieri poterat quod suadebatur?. . .' A 3, 113: ,Postea Hippomenes Venerem ut sibi *in eo certamine* adesset rogavit: a qua cum accepisset de horto Hesperidum tria mala aurea, provocavit puellam ad cursum et *cum se videret posse superari* singula coepit iacere'. A 4, 73: ,Dictaeos] Cretenses. Cervae vulneratae dictamnum quaerunt *qua gustata fere vulneribus tela depellunt* ut in duodecimo legimus ,non illa feris incognita capris gramina'.

Necessarium paene videtur, commentatorem nobis ostendere qua de causa vulneratae cervae quaerant ea gramina: omisit haec brevior, habet plenior Servius.

A 6, 474: ,Respondet curis] aut pari eam diligit adfectione *id est tantum amat quantum amatus est* — quod in Aenea non fuit *qui plus amatus est et amantem deseruit* — ut expressio rei supra dictae sit ,aequatque Sychaeus amorem . .'

A 7, 209: ,Corythi] oppidum et mons dicta a rege *Corytho, ut putatur a quibusdam* patre Dardani, *ibi sepulto*'.

A 8, 681: ,Aperitur vertice sidus] *apparet* sidus in vertice, hoc est super galeam. Nam ex quo tempore per diem stella visa est, dum sacrificaretur Veneri genetrici et ludi funebres Caesari exhiberentur, *per triduum stella apparuit in septentrione*. Quod sidus *Caesaris* putatum est Augusto persuadente, *nam ideo Augustus omnibus statuis quas divinitati Caesaris statuit, hanc stellam adiecit. Ipse vero Augustus* in honorem patris stellam in galea coepit habere depictam'. Concedo brevioris Servii verba sola per se intellegi posse: quaesiverim autem, num quisquam sibi persuaserit, imperio Romano pridem destructo fuisse[35]) tam eruditum hominem qui e sensu, e contextu scriptoris singulas sententias atque adnotationem totam amplificaret atque id non tam ea ratione, ut supervacua et inania adderet quam ita ut brevioris Servii verba etiam novis rebus atque locis firmaret?

A 9, 415: ,Telum librabat ab aure] gestus iaculantis exprimitur: *duobus autem generibus manualia tela mittuntur;* aut enim ab aure, aut a latere tela iaciuntur'. Illud ,aut enim' plenioris Servii verbis interpositis multo rectius videtur scriptum esse.

---

[35]) cf. Thilo, pag. LXVII.

Aeque atque A 9, 579 particula ‚nam' ferri tantum potest, si sequitur: ‚ubi optime colores ..': est enim ille locus: ‚Ferrugine clarus Hibera] ferrugo coloris genus est, qui vicinus est purpurae subnigrae. Hibera autem modo non Hispana, sed Pontica: nam Hiberia pars Ponti est *inter Persidem et Armeniam, ubi optime colores diversi tinguntur* ut ostendit Horatius dicens ‚herbasque quas Jolcos atque Hiberia mittit, venenorum ferax'.

A 11, 160: ‚Vivendo vici mea fata] diu vivendo.. ‚Vici' autem ‚mea fata', id est naturalem ordinem vita longiore superavi, *in hoc tantum, ut superstes essem filio meo:* namque hic ordo naturalis est, ut sint parentibus superstites liberi'. A 11, 358: ‚Veniamque oremus ab ipso cedat] Asper hic distinguit *id est hanc veniam oremus, ut cedat: aut si coniuncte legeris ‚cedat ius proprium regi' nova erit elocutio accusativo iunctum ‚cedat*..'. Cum brevior Servius tantum commemoret, Asprum hoc loco distinguere, a pleniore Servio ex Aspri sententia, ni fallor, docemur, quemadmodum ea distinctio percipienda sit. A 11, 869: ‚Turbati fugiunt Rutuli] hoc ad Camillae pertinet laudem *qua amissa turbati fuerunt Rutuli, et* immutata fata bellorum'. Hic dilucide perspicies quam arte cohaereant inter se brevioris et plenioris Servii verba. Sed satis multa exempla cumulavi[36]): transimus ad ea pleniora quae neque apposita neque inserta, sed omnibus brevioribus verbis anteposita sunt, ut A 2, 522: ‚Non si ipse meus] *mire ‚meus' ut matris exprimeretur adfectio. Et* subaudis ‚posset defendere'. Neque hoc uno loco ea ratio reperitur, sed eorum locorum numerus satis magnus videtur esse pro numero versuum quicunque in Aeneidis scholiis explicati sunt: quos numeros si comparamus, efficitur his circiter 8000, illis 250. Plenioris autem Servii verba, si re vera additamenta sunt, plane non video qua de causa iis verbis quae ipsius commentarii sunt, anteponantur, quoniam post posita eundem sensum praebent.

Vide alia quae ad dispositionem commentariorum pertinent. Saepe enim videmus in amborum libris explicationem aliquam plenioris Servii, in breviore commentario valde decurtatam, sequi

---

36) Alia breviter enumero: A I, 469, 701; 2, 116; 3, 51; 4, 58, 130, 200, 458; 11, 133; B. 7, 41.

interpretationem proximi loci eandem neque ullo modo mutatam. Ut pauca exempla depromam, cf. A 1, 286/87; 595 et 596/97; 2, 454/55, 464 et 67/68 et 69, 616/617; 3, 489/96 alia.

Porro inter duos Servios hoc interest: plenior Servius saepe lemmati annectit duas interpretationes vel tres inter se coniunctionibus ,aut-aut' ,vel-vel' disiunctas, brevior Servius earum interpretationum alteram praebet, alteram neglegit.

A 1, 173: ,Sale tabentis] *aut* madefactos aspargine, *aut qui apud sentinam laboraverint; nam supra ait ,omnes accipiunt inimicum imbrem'. Sane marina aqua dicitur exesse et extenuare ut cetera sic corpus humanum'*[37]). Quas coniunctiones brevior Servius rarissime usurpavit, quippe qui una interpretatione contentus esset.

Brevitatis studio attribuendum esse puto, quod brevior Servius sensui atque concinnitati sententiarum haud ita operam dedisse videtur. Atque plus habet offensionis hoc vitium, ubicumque plenior Servius, quod saepe fit, eius rei curam habet. Velut legimus A 5, 628: ,Sideraque emersae ferimur] aut tempestates *ait quae ortu vel occassu siderum saepe nascuntur*: aut provincias, quae sideribus subiacent, ut ,Aethiopum versemus oves sub sidere cancri.'

Vix porro opus esse videtur quaerere, quoad brevior Servius Vergilii verba atque versus explicaverit atque quoad plenior, cum supra hoc commemoratum sit de rebus quas quisque proferret, cum ageretur. Accedit quod statuere non possumus quibus in rebus brevior Servius subsistere solitus sit cum modo plura modo minora adnotet. Etsi neminem effugiet breviorem Servium, ubicunque plenior dicit ,sane fabula haec est' vel tale quid, iam nihil adnotare.

Id iterum animadvertamus, breviorem Servium unam, raro duas interpretationes afferre, pleniorem praeter has multorum aliorum opiniones atque sententias enumerare ,aliis' vel ,quibusdam' vel nominatim auctoribus quibusdam addictas. Qua in re com-

---

[37]) Cuius rei haec exempla enumero: A 1, 183; A 2, 142, 595, 669; 3, 75, 244, 457, 714, 717; 4, 45, 72, 98, 376, 418, 639 (utrum — an); 5, 48, 154; 6, 286, 434, 615, 636; 7, 37; 8, 337, 389, 402, 597, 701; 9, 172, 641, 734; 10, 15, 194, 558, 612; 11, 113, 224, 836; 12, 144, 451, 558.

memorandum esse puto a breviore Servio paucos scriptores eosque aureae quae vocatur litterarum aetatis laudari[38], a pleniore autem omnium fere superiorum temporum scriptores[39]. Quocirca patet pleniorem Servium permulta ex omnibus fere temporibus congessisse[40], breviorem pauca deprompsisse.

Id autem plurimum valet quod plenior Servius, cum multorum multas opiniones ad eundem afferat locum in omnibus fere rebus explicandis contendit, ut praeter id quod commune ei cum breviore Servio est, quam plurimas interpretationes, explicationes, narrationes undique desumptas cumulet. Velut legimus A 1, 77: ‚Explorare] deliberare; superius namque multa poposcerat Juno. Hoc ergo dicit: tuum est deliberare, quid velis. *Aut certe aperire vel pensare, quale sit desiderium. Alii explorare Jovis animum; aut certe ‚explorare' explanare; aut certe statuere, an aequum sit, quod petis, tuus enim hic labor est.*' Atque in quavis pagina videmus eius commentarium in hunc modum esse farctum. Quo pertinent etiam haec: A 1, 706: ‚Et pocula ponant] secundum antiquum locutus est morem, *quia veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensis apponebantur, ut hodieque apud plures pocula in canistris argenteis adponuntur, quae canistra siccaria dicuntur.*' Vile est illud brevioris Servii neque viri docti commentatio. Docendum enim erat quo iure de antiquo more vel ritu diceretur, cum veterum consuetudo explicaretur, atque demonstraretur: quod plenior Servius ut hic, ita aliis locis fecit. Conferas igitur A 2, 108: ‚Saepe fugam Danai] hoc secundum Homerum verum est *apud quem suadet Agamemnon Graecis relicto bello fugere. Et ut ostendat propter bellum fugere, ait ‚cupiere non ‚voluere.*' cf. A 6, 663.

Cuius rei causas ut deliberemus, cum hoc concedo aliquem singula quaedam libris confectis atque compositis addere facile potuisse, tum id mihi veri plane esse dissimile videtur quemquam tanta industria enixum esse ut tot tantisque adnotationibus atque

---

38) Thom. pag. 186.
39) Thom. pag. 56, 85, 115.
40) Thom. pag. 128.

iis perbonis[41]) amplificaret commentarios doctrina et auctoritate multo inferiores[42]).

At haec coniectura est: illud pro certo dici potest pleniorem Servium optimarum artium studio incensum fuisse, cuius non tam intereret, ut interpretationem quamlibet vel pessimam lemmati adscriberet, sicut in breviore commentario fit, quam ut versum quocunque modo, quibuscunque argumentis potuit, explicaret. Quo studio permotus plenior Servius etiam atque etiam aliorum auctorum opiniones atque explicationes conglomeravit: A 4, 37[43]): ‚Triumphis dives] id est bellicosa. *Et quidam dicunt Afros numquam triumphasse. Plinius autem Secundus historiae naturalis et Pompeius Trogus Afros dicunt pompam triumphi primos invenisse, quam sibi Romani postea vindicaverunt. Livius autem Andronicus refert, eos de Romanis saepius triumphasse suasque porticus Romanis spoliis adornasse: merito ergo ‚dives triumphis‘*.

Neque solum litteras colere studet plenioris commentarii auctor, sed in universum etiam id contendit, ut commentarium vere perfectum conficiat. Ut A 4, 685: ‚Ore legam] *muliebriter, tamquam possit animam sororis excipere et in se transferre.* Sic Cicero in Verrinis ‚ut extremum filiorum spiritum ore excipere liceret.‘ Videmus igitur pleniorem Servium primum explicare — quod est commentatoris — verba poetae, deinde addere exemplum quoddam, breviorem autem hoc unum afferre. Eandem industriam prae se fert plenior A 2, 53 aliisque locis.

Ac ne putes pleniorem Servium hic vel illic brevioris interpretationem explere aut nonnulla addere voluisse, saepe ab eo significatur, se ipsum commentarium Vergilianorum carminum componere. Velut A 11, 378 in extrema adnotatione dicit: ‚Sed haec in sequentibus singulatim tractanda sunt‘ vel A 10, 797: ‚quod suis locis plenius dictum est‘[44]).

Neque praetermittendum esse puto quod brevior Servius

---

[41]) cf. Thilo, pag. XXXIII.

[42]) cf. Thilo, pag. LXXIV; cf. Niebuhr apud Thom. pag. 61; Thom. pag. VIII; 44.

[43]) cf. A 1, 131; 2, 149, 351 multos alios locos.

[44]) cf. A 1, 378, 446, 651; 2, 296, 456; 3, 211; 5, 105; 7, 464; alios locos.

multis versibus ne unam quidem vocem adnotavit, quibus plenior Servius multa atque bona adscripsit[45]).

Praeterquam vero quod plenior Servius multa explicat atque exponit, quae brevior neglegit, idem nihil affirmat nisi quod probat argumentis, cum brevioris Servii nihil intersit, utrum confirmet quod dicit, nec ne. Comparemus enim haec A 4, 69: ,Qualis coniecta cerva sagitta] satis congrua comparatio: *singula enim singulis, cervam Didoni, sagittam amori, pastorem Aeneae, nemora urbi, ictum letalem amori mortifero comparavit*'[46]).

Videor autem mihi hoc disputatione mea probasse errare eos qui plenioris commentarii auctorem sive doctrina sive iudicio sive ingenio breviore minorem esse sibi persuaserunt. Itaque tota forma atque dispositione Serviani commentarii deliberata atque perpensa non cogimur pleniora eius commentarii verba additicia breviorum habere. Iam igitur quaeritur, num extent causae quae nos adducant, ut alterum antiquiorem atque superiorem fuisse statuamus.

Qua in disquisitione mitto quod antea explicavi pleniorem Servium meliora proferre atque absolutum et perfectum opus expetivisse, immo vero eos locos in memoriam redegerim, quibus vidimus pleniora cum brevioribus artissime coniuncta esse. Comparantibus enim nobis plenioris Servii verba cum brevioris adnotationibus occurrunt permulta his interposita vel apposita quae multo artius quam quae supra commemorata sunt, inter se cohaerent idque tam arte ut si quis dempserit illa plenioris, futurum sit ut tota brevioris expositio iam non intellegatur.

Quod ita esse primum exemplis ostendamus, deinde diiudicemus qui factum sit. Jam perlustremus exempla:

A 1, 267: ,.. Et occiso Mezentio Ascanium *sicut J. Caesar scribit* Iulum coeptum vocari, *vel quasi ἰοβόλον, id est sagittandi peritum, vel* a prima barbae lanugine *quam ἴουλον Graeci dicunt* quae ei tempore victoriae nascebatur.' Sine ullo dubio qui scripsit illud ,sicut J. Caesar scribit' integriorem orationis formam

---

45) Numerantur circiter mille.

46) Ut e magno numero exemplorum pauca enumerem, cf. 2, 696; 4, 56, 359; 8, 624; 9, 116; 11, 144.

servavit, qua de re posthac disseremus: iam de aliis verbis plenioris Servii a breviore omissis quaeritur. Respondeas igitur, quaeso: cur Ascanius Julus vocatur? A prima barbae lanugine? Nemo est qui id percipere possit, neque dubium est quin omnes nominis definitionem desiderent: quae definitio a pleniore Servio data est qui Juli nomen aut ad *ἰοβόλον* aut ad *ἴουλον* revocandum esse dicit, quod veriloquium quam perversum sit sane neminem latebit. [47])

Ex A 2, 23 hoc affero: „Sane ‚male fidus' ‚minus fidus' intellegitur. ‚Male' enim minutionem habet non negationem."

Recte quidem: sed nemo ante dixit ‚male' negandi vim habere. Videmus igitur hanc sententiam: ‚Male enim e. q. s.' non respicere ad brevioris Servii, sed ad plenioris verba quae sunt ibidem: „sane ‚male fidus' non infidus, sed minus fidus intellegitur. ‚Male' enim minutionem habet, non negationem."

Porro A 2, 196 legimus: ‚Coactis] *id est expressis* ut Terentius: una mehercule falsa lacrimola quam oculos terendo misere vix vi expresserit.'

Qua adnotatione plenior Servius verbum ‚coactis' verbo ‚expressis' explicavit atque ut demonstraret ‚exprimere' usurpari de lacrimis, Terentii versus addidit. Brevior autem Servius cum ipsa explicatione omissa Terentii tantum verba adnotaverit, nemo nostrum intellegit quo Terentianum illud respiciat.

Deinde velim compares brevioris Servii verba A 5, 288: ‚Mediaque in valle theatri] media in valle erat circus theatri, id est spatium spectaculi. Et ‚theatri' Graece dixit: non enim est speciale': quorum sensum num perspicias, valde dubito, cum plenioris Servii verbis ibidem: ‚Mediaque in . . . Et ‚theatri' Graece dixit a circumspectione. Omne spectaculum theatrum possumus dicere *ἀπὸ τῆς θεωρίας:* non enim est speciale nomen': patet a pleniore Servio hoc integrum servatum esse, a breviore autem neglegenter contractum.

---

[47]) Non ignoramus etiam Platonem, Varronem (cf. Hermes 22, pag. 29) his veriloquiis operam dedisse. Cynicorum morem illudit Plato in Cratylo, de stoicis cf. Cic. de nat deor. Imprimis autem Isidorus stultissima quaeque fecit: cf. Thom. pag. 222.

Transeo ad A 5, 404 ‚Animi tantorum] *hic distinguendum* hoc est virorum fortium *quos aequum non erat magna mirari.* Unde addidit ‚ante omnes stupet ipse Dares': nam stultum est dicere ‚tantorum boum' cum dixerit septem.' Inepte omisit brevior Servius ‚hic distinguendum,' cum eiusdem ‚nam stultum est dicere tantorum boum' ita sensu cassum reddatur. Etenim quo spectat particula ‚nam'? quis cogitavit de ‚tantorum boum'? nemo, nisi plenior Servius quippe qui diceret, hic esse distinguendum. Neque video quo pertineant: ‚unde addidit ‚ante omnes stupet ipse Dares,' nisi ad plenioris Servii verba: ‚quos aequum non erat magna mirari.'

Sequitur A 6, 288: ‚Flammisque armata Chimaera] *Typhonis et Echidnae* ore leo, postremis partibus draco, media caprea secundum fabulas fuit. Re vera autem mons est Ciliciae, cuius hodieque ardet cacumen iuxta quod sunt leones; media autem pascua sunt *quae capreis abundant* ima vero montis serpentibus plena.' Iniuria brevior Servius verba ‚quae capreis abundant' ex oratione sustulit. Quod ut demonstrem comparabo Chimaeram quae sit secundum fabulam atque quae re vera esse dicatur: illic monstrum se praestat quod est ore leo, postremis partibus draco, media caprea: hic autem est mons Ciliciae, atque plane respondet fabulae quod iuxta cacumen leones, in radicibus vero montis serpentes versantur. At in media parte montis pascua brevior Servius esse vult quod minime quadrat ad sensum. Neque enim quaeritur utrum humus an saxum singulas montis partes texerint, sed exponendum est quam beluam inveniamus in medio monte: quod recte fecit plenior Servius verbis quae brevior neglexit.

G. 4, 363: ‚. . Lacus autem dicit fontium et fluviorum receptacula. Haec autem non sunt per poeticam licentiam dicta, sed ex Aegyptiis tracta sunt sacris: *nam certis diebus, in sacris* Nili ‚pueri de sacris parentibus nati a sacerdotibus nymphis dabantur.' In promptu est nos verbis ‚nam certis diebus, in sacris' indigere neque Thilo dubitavit ea Servio attribuere quamquam plenior solus ea servavit[48]).

Deinde etiam haec animadvertamus, quae supra dixi, pleni-

---

[48]) cf. Thilo, ed. Serv. III, 1 ad hunc versum.

orem Servium verbis commemoratis auctorem J. Caesarem apposuisse, breviorem autem iisdem verbis allatis auctoris nomen repudiasse. Qua de re iam fusius disputemus: est enim pro more scholiastarum vix credibile futurum fuisse, ut post breviorem Servium mortuum quisquam veterum Romanorum vel scriptorum vel poetarum libros evolveret, ut verbis ab illo allatis auctorem adscriberet. Immo vero id statuendum videtur, ubicunque tale quid factum est, pleniorem Servium integrum commentarium servasse, breviorem integri libri verba contraxisse[49]. Videamus igitur haec[50]:

A 6, 773: Urbemque Fidenam] Fidenae dicuntur ut ,Thebae'; sed dixit ut *Iuvenalis* atque vetus Thebe centum iacet obruta portis . . ' Parum veri simile est huius versus auctorem eum memoria tenuisse.

Eadem fere ratione ostendere possum, alia nomina in pleniore commentario brevioris Servii verbis intermixta non posterioribus iis adiecta esse, sed in primo commentario componendo una cum iis conscripta. Liceat igitur hos locos omnes in unum nunc ponere conspectum: A 1, 277: ,Denique tribunus plebei quidam *Valerius Soranus* ut ait Varro . . .' A 2, 15: ,Equum] de hoc equo varia in historiis lecta sunt: ut Hyginus *et Tubero* dicunt, machinamentum bellicum fuit . .' A 7, 543: ,Dicit etiam quidam commentarius — *Firmiani* — ,convecta' legendum, . .' A 8, 9: ,Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem] Diomedes *revertens de Troia* postquam repperit ira Veneris a se vulneratae uxorem apud Argos *cum Cylataba, ut Lucilius, vel Cometa, ut plerique tradunt* turpiter vivere, noluit reverti *ad patriam*.' A 11, 93: ,*sicut habuisse Arcades Bacchylides in dithyrambis dicit*'[51]. A 12, 584: ,Reserare iubent] id est volunt, ut *Terentius* iubeo Chremetem'[52]. G. 1, 165: ,Sane ,haec corbis' dicendum est secundum Tullium, qui ait *in Sestiana* ,messoria se corbe con-

[49]) Ac ne mireris talem brevioris Servii rationem, similem Frontini videas in Mus. Rhen. 46, pag. 314 explicatam qui auctorum nomina propria apud auctores suos inventa omisit.

[50]) cf. A 7, 629; 9, 4.

[51]) cf. pag. 1231 ap. Bergkium poet. lyr. Gr. ed. III.

[52]) cf. Andria III, 3, 1.

texit.' G. 1, 366: ,Sane sciendum est *ut ait Aratus* ab illa parte ventum flaturum, in quam ignis ille ceciderit': quo loco magis firmatur opinio nostra: dixerit enim quispiam auctorem dicti alicuius ad verbum transcripti ab alio indagari posse; hoc autem loco cum aliis verbis sensus Arateae sententiae redditus esset, fieri non potuit quin auctor postea repperiretur.

Neque aliter res se habet, si brevior Servius non tam nomen proprium quam verba auctoris afferre omisit, plenior autem utrumque scripsit, ut A 5, 408: ,Versat] considerat, ut Sallustius ,exercitum *maiorum more* verteret, *hoc est consideraret.*' Nemo ut opinor censebit pleniorem Servium operam dedisse, ut illud ,maiorum more' adderet, quoniam sola brevioris Servii verba intellegi possunt. Item A 6, 622: ,Fixit leges pretio atque refixit] possumus Antonium accipere secundum Ciceronem in Philippicis *ubi ait ,legesne fixisti?'* Fixit autem ideo quia incisae in aereis tabulis adfigebantur parietibus'[53].

Restant pauci loci quibus videbimus ipsa ea quae flagitat tota argumentationis ratio totusque sententiarum conexus, praebere pleniorem Servium, non praebere breviorem: sed illa non ut in supra enumeratis exemplis erat, sententiae sunt aut plura verba sed singulae voces, quas dixerit quispiam corruptela in breviore commentario omissas esse. Quod qui dicit, ipse fatetur, haec plenioris Servii verba non additicia, sed integri commentarii Serviani própria esse.

A 2, 312: ,Sigea] duo sunt Troiae promunturia, Rhoetum et Sigeum, quod dictum est propter Herculis taciturnitatem qui prohibitus hospitio *a Laomedonte* simulavit abscessum et inde contra Troiam per silentium venit, quod dicitur σιγή'. Qui brevioris tantum Servii commentarium legerit, aliquid omissum esse concedet, qui plenioris, nulla voce carebit. Neque opus est sequenti loco monere particulam ,nam' et quae sequuntur, intellegi non posse, nisi additur ,latine': est enim A 6, 222: ,Feretro] graece dixit, nam *latine* capulus dicitur a capiendo'[54]. A 6, 388: ,Quisquis es armatus] bene a praescriptione *coepit,* ac si diceret: nihil

---

[53]) cf. A 2, 166; 4, 555; 10, 329.

[54]) A 11, 64 brevior Servius, cum de eadem re ageret, non omisit vocem ,latine'.

pium molitur armatus.' Atque ut ea sententia neglegenter a breviore Servio scripta est, ita haec quoque: A 11, 367: ,Desolavimus agros] vel dum occiduntur *agricultores* vel dum coguntur ad militiam: nam legimus ,et latos vastant cultoribus agros'. ,Agricultores' enim qui deleverit, iam non perspiciet, utrum de iugis boum vel equorum an de agricolis dicatur, omnino non videbit, quid sibi voluerit brevior Servius.

Sequentis loci (A 11, 590) hanc solam adscribo partem quae est: ,Ultricem] nomina *omnia in x littera* terminata ablativum singularem in ,e' mittunt; genetivum vero pluralem in ,um' exceptis his quae omnis sunt generis, ut ,felix . . ': nolo enim totam huius declinationis expositionem Servianam afferre: multis verbis de ipso nomine ,in x litera terminato' disseritur neque ut brevior Servius vult de nominibus terminatis, qui non perspexisse videtur, omnia nomina, quamquam diversum in modum, terminata esse. B. 7, 58: , . . Sane sciendum, Vergilium pampinos numquam *cum genere* dicere, sed Varronem uti frequentius feminino.' Omnibus patet oppositionis causa opus esse illud plenioris Servii ,cum genere' et si quaesiverimus, falsum invenietur, Vergilium pampinos numquam scripsisse: etenim legimus Verg. G. 1, 448: ,Heu! male tum mitis defendet pampino uvas.' Sed de hac re nobis amplius disputandum non est cum ipse Thilo admonet in apparatu critico huius loci: ,cum genere' Servii esse videntur': ergo plenior Servius vera Serviana nobis tradidit (cf. A 5, 380).

Extremo loco legimus G. 4, 522: ,Marmorea caput a cervice revulsum] id est pulchra. Sane alludit ad id quod dicit Ovidius, quia cum caput eius delatum ad ripam *serpens* mordere voluisset, est conversus in lapidem.'

Non explicavit brevior Servius quis caput Orphei mordere voluerit, ut illius adnotatio stulta atque vana esse videatur, quae perbona est una voce ,serpens' suo loco redintegrata: iam habemus ad quod alludunt, cum de Ovidio dicant: Met. 11, 56 sqq.:

,Hic ferus expositum peregrinis anguis arenis
Os petit et sparsos stillanti rore capillos.
Tandem Phoebus adest, morsusque inferre parantem
Arcet, et in lapidem rictus serpentis apertos
Congelat, et patulos, ut erant, indurat hiatus'.

Sed haec hactenus[55]). Vidimus igitur saepissime plenioris Servii verbis si sensum spectamus nos omnino non posse carere aut quibusdam de causis eiusdem verba inferioribus temporibus breviori commentario addi non potuisse. Atque si in tot locis non tam de plenioris Servii additamentis quam de sententiis verbisque a breviore Servio neglegenter omissis agi certum est, cetera quoque quaecumque plenioris sunt quin omnia eundem in modum accipienda sint, dubitare non licet[56]).

Recte ergo colligimus, pleniorem Servium aut exemplar archetypum cum amplius tum planius breviore Servio servasse aut fontem atque auctorem commentarii ab illo decurtati fuisse, quod mihi magis arridet neque cuiquam mirum videbitur. Quoscumque enim scholiorum vel historiarum libros veteres inspexeris, omnes ab inferioribus scriptoribus decurtatos invenies, fere numquam amplificatos.

---

[55]) cf. A 4, 187; 8, 727; Thil. vol. II pag. 305 adn.; 11, 622.

[56]) Item colligunt in aliis rebus Thilo pag. XXV et Georgii pag. VI; in hac autem re idem fecit H. Nettleship pag. 169: ,,If in some cases, why not in all?!'' Qui et ipse eo pervenit ut affirmaret pg. 154, eodem iure quo breviori commentatori Servii nomen tribueretur etiam pleniori addici posse. Atque alio loco suspicatur plenioris atque brevioris Servii verba eiusdem generis esse atque inter se congruere (,,they are homogeneous''). Quam rem a nobis firmis exemplis fultam habes.

Vita.

Natus sum Alfredus Gustavus Moeller Hamburgensis anno MDCCCLXIIX die III m. Aug. patre Theodoro, matre Elisabeth e gente Houben, quibus valde gaudeo superstitibus. Fidei addictus sum evangelicae.

Literarum elementis imbutus sum in gymnasio Johanneo Hamburgensi. Autumno anni MDCCCLXXXVII maturitatis testimonio instructus Tubingam me contuli, ut studiis philologicis et historicis operam darem. Postero anno civibus universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis adscriptus, vere anni MDCCCXC Kiliam migravi. Stipendia militaria feci Tubingae a. h. s. LXXXVII/VIII.

Docuerunt me vv. dd.: Bastian, Blass, Bruns, Busolt, Cauer, Curtius, Delbrück, Deussen, Fehr, Glogau, Hübner, Kiepert, Klebs, de Kugler, O. Rossbach, Schmid, J. Schmidt, Schum, de Sigwart, Steinthal, de Treitschke, Zeller.

Blassii Brunsii Forchhammeri benignitate atque benevolentia factum est ut per tria semestria sodalis ordinarius seminarii philologici essem. Praeterea adfui exercitationibus philologicis Hübneri Vahleni, historicis Busolti Hirschfeldi Schumi, philosophicis Deusseni Glogaui, archaeologicis Rossbachi.

Rossbach, ut ad has quaestiones studia converterem, me incitavit. Eundem et Brunsium in hoc libello scribendo numquam mihi defuisse gratissimo animo profiteor.

Sentententiae controversae.

I.

In Sophoclis Oed. Col. v. 879:

a. scribo: ‚τὰν γὰϱ‘.

b. omnia verba Creonti attribuenda sunt.

II.

In Sophoclis El. v. 987 contra Schneidewin-Nauck ‚ἀδελφῷ‘ restituendum est.

III.

In Horatii sat. III. libri I. v. 100 scribo:

‚mutum et turpe genus‘.

IV.

In Grattii Cynegeticon libr. I.:

a. v. 16. ‚nomine‘,

b. v. 17. ambobus locis ‚centum‘,

c. v. 27. ‚operum‘,

scribendum est.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA
6694
S4Z64

Moeller, Alfredus
Quaestiones Servianae